




WILHELMI ERNESTI TENTZELII

EPISTOLA

AD AMICUM,

QUA

RESPONSIO

AD

CLARISSIMI VIRI

EMANUELIS A SCHELSTRATE

DISSERTATIONEM APOLOGETICAM

DE

DISCIPLINA ARCANI

SUMMATIM CONTINETUR.



GOTHÆ
LITTERIS CHRISTOPHORI REYHERI.
M. DC. LXXXVII.



VIR CLARISSIME,

SCiscitaris ex me, quæ caussæ sint, quod nihil hactenus responsi dederim ad Dissertationem Apologeticam a Celeberrimo Bibliothecæ Vaticanæ Præfecto ante triennium fere aduersus me Romæ editam. Equidem ex quo ea nundinis Lipsiensium auctumnalibus anni octogesimi quinti primum ad manus nostras peruenit, magno mihi honori duxi, tantum virum responsione sua me dignatum esse; statimque in chartam conücere cœpi, quæ ad defensionem sententiæ meæ faciebant, nihil magis in votis habens, quam ut propediem luce publica fruerentur. Sed præter spem opinionemque tantam expertus sum Bibliopolarum duritiem, ut neminem hactenus ad sumtus faciendos exorare potuerim: quod tibi quidem, aliisque morum nostratium librariorum gnaris, mirum haud videbitur; mihi vero occasionem suppeditauit, summa Animadversionum mearum (hic quippe titulus libri est) capita orbis litterati notitiæ iudicioque exponere.

Postquam initio *Animaduersionum in præfationem Schelstratii* commemoraui, quemadmodum in notitiam apologiæ eius per monita amicorũ ex Papebrochii, Magliabechii, ipsiusq; Schelstratii litteris deuenerim, ac modestiam eius laudaui, statum quæstionis circa obiectum tempusq; introductæ in Ecclesiam arcani disciplinæ versari doceo, quam Schelstratius quidem a Christo & Apostolis institutam ritus pariter ac dogmata comprehendisse vult; ego autem secundo demum sæculo labente receptam symbola tantum ritusque occultasse contendo. Subjicio nonnulla de Natalis Alexandri Historia Ecclesiastica Romæ eodem tempore flammis adiudicata & sub maioris excommunicationis pœna prohibita, quo Schelstratius adversus me scripsit, iisdemque cum Natali argumentis Apostolicam disciplinæ arcani antiquitatem propugnare conatus est. Porro quoniam existimat, me ipsius fore perpetuum adversa-

verſarium, id mihi quidem in mentem nunquam veniſſe conteſtor, gratiſſimum tamen fore, ſi poſthac eruendæ veritatis cauſſa mecum ſæpius congredi voluerit. Neque cogitare debet, me circa argumenta verſaturum, quæ vlteriorem expoſitionem non mereantur. Falſo enim ſibi perſuadet, eiusmodi eſſe alteram Diſſertationem meam de Conſtantini Baptiſmo; quum non paucos noverim eruditos, qui libenter defenſionem teſtimoniorum pro Baptiſmo Conſtantini Romano audirent; & Papebrochius tomo quinto Maii noſtram de vnico Conſtantini Baptiſmo Nicomedienſi ſententiam non tantum probat, ſed alteram quoque de duplici, Romano & Nicomedienſi, quæ Schelſtratio arridet, adeo averſatur, vt in dedicatione profiteri non dubitauerit, Conſtantinum *ab ea calumnia vindicandum eſſe, qua dicitur & tenetur a multis in Arianiſmum deflexiſſe ſub vitæ exitum, & hæretico ritu baptizatus vel (quod turpius) rebaptizatus fuiſſe.* Schelſtratius quidem cum aliis argumentis a me ibi confutatis innititur, tum verbis quibusdam in Hieronymi Chronico exſtantibus, quæ a mala manu inſerta eſſe dixeram, Moguntinorum Theologorum ſuffragio & communi eruditorum opinione de Chronico illo maxime interpolato nixus. Sed vir ille inſignis Moguntinos ſilentio inuoluens communem Codicum conſenſum mihi objicit; quem tamen univerſalem non eſſe prolatis in medium Pontaci ac Papebrochii verbis doceo, & Proſperi locum non minus de interpolatione ſuſpectum reddo, quod nemo Proſperum tantæ inſcitiæ reum poſtulauerit, vt Conſtantinum alio anno Nicomediæ baptizatum, alio mortuum dixerit. Denique meam verborum Hieronymi interpretationem tam ex legibus hermeneuticis, quam ex hiſtoria illorum temporum defendo, ex qua ſcimus, viuente adhuc Conſtantino diſcordiam rapinasque Eccleſiarum exarſiſſe.

Sectione prima Animaduerſionum, quæ capiti primo Apologiæ Schelſtratianæ reſpondet, breuiter de Actis Orientalis Eccleſiæ aduerſus Lutherum, quæ editurus eſt Schelſtratius, ago, & cum ea ad defenſionẽ Allatii facere videantur, multis Pontificiorum ſtudium huius viri concordiæ perpetuæ monſtrandæ inſumtum diſplicuiſſe moneo, & Pontificiis quidem de conſen-

ſu glorianti bus maxime aduerſari, quod in controuerſiis non paucis Orientales nobiscum contra illos ſentiant, nobis autem nullum ex differentia negotium creari, qui nihil admittamus, quod ſiue in Oriente ſiue in Occidente contra ſcripturarum diuinarum auctoritatem hodie receptum eſt. Porro in ipſo ſtatim limine impegit Schelſtratius, quando male ſibi a me imputari exiſtimauit, diſciplinam arcani ad fideles pariter ac infideles ſeſe extendiſſe, quam coram ſolis Iudæis, Ethnicis & Catechumenis obſervatam fuiſſe ejus ferat ſententia. Oſtendo itaque, Schelſtratium non poſſe non arcani diſciplinam ad fideles quoque ſimpliciores extendere, quamdiu ex ejusdem præſcripto dogmata etiam occultata fuiſſe cenſeat. Propterea ſecunda ſectione prolixe ago de more dogmata occultandi, & quomodo differat a diſciplina arcani, clariſſime indico Sed in prima adhuc noto, Schelſtratium vocabulo *myſterii* uti non debuiſſe, quippe admodum generali, quod ad diſciplinam arcani applicatum nihil myſteriorum Chriſtianæ religionis infidelibus proponi permitteret, reclamante Apoſtolorum Patrumq; praxi. Nec veritati congruere, quod cenſet, in tractatibus Patrum contra Gentiles obſcuriora de Euchariſtia reperiri teſtimonia; Origenem enim ab ipſo allegatum Lib. IIX. aduerſus Celſum eam adeo clare deſcribere, vt Petrus de Marca inter realis præſentiæ adſertores tertio loco ipſum collocauerit. Arnobium autem huc referendum non eſſe, qui libros aduerſus Gentes ſcribens adhuc Catechumenus exſtiterit, adeoque ex hypotheſi Schelſtratiana nec dogma nec ritus Euchariſtiæ cognouerit. Denique loca Cyrilli Hieroſolymitani, Palladii, & aliorum mihi haud obeſſe, qui libenter concedo, diſciplinam arcani dogmata non occultantem ad ſolos non-initiatos pertinuiſſe.

Secunda animaduerſionum ſectione, quæ capiti ſeſecundo Apologiæ Schelſtratianæ reſpondet, *num. 1.* morem antiquorum Patrum explicare adgredior, quo idiotas quidem plebeiosq; fideles de abſconditis Chriſtianæ religionis myſteriis clare ac perſpicue informabant, cum perfectioribus autem ſubtilius maioriq; ἀκριβείᾳ procedebant. Hunc poſtquam ex Origene, Com-

Commentatore in Epiſtolas Paulli ſub Ambroſii nomine latente, & Auguſtino probatum dedi; & *num. 2.* Melchioris Zeidleri ac Dionyſii Petauii ſuffragiis confirmaui, diſcrimen δογμάτων & κηρυγμάτων inde ortum *num. 3.* expono, locumque Baſilii id inculcantis non ad diſciplinam arcani pertinere, quod vult Schelſtratius, inde inprimis probo, quod Baſilius inter arcana δόγματα refert precationem verſus Orientem, ſignum crucis, genuflexionem, quorum nihil apud non-initiatos gentilesve occultabatur; deinde Baſilii arcana δόγματα ad fideles etiam idiotas ſeſe extendunt, quum diſciplina arcani ad infideles tantummodo & Catechumenos ſpectarit. Ad κηρύγματα autem Irenæus lib. 1. aduerſus hæreſes cap. II. & III. ſubſtantialia myſterii Trinitatis refert, adeoque id publice prædicari ſtatuit, quod tamen Schelſtratius ad diſciplinam arcani refert. Subtilior autem myſterii hujus tractatio eſt, quam coram Clero ſuo inſtituit Alexander, Epiſcopus Alexandrinus, apud Socratem lib. 1. cap. V. Ex eodem fonte prognata eſt differentia inter συγκαταβαίνειν & δογματίζειν, quam *num. 4.* Chriſti & Paulli exemplis declaro, & Apoſtoli præſertim dicta Act. XVII. & 1. Corinth. III. ac Ebr. V. expendo, & Origenis, Clementis Alexandrini, Iobii Monachi & Oecumenii interpretationes ſubiungo, qui in eo omnes conueniunt, ut ad fideles imperfectiores lac, ad perfectiores autem ſolidus cibus faciat. *Num. 5.* obſeruo, nonnullos poſtea Eccleſiæ Doctores longius progreſſos alia etiam dogmata obſcurare cœpiſſe, quæ Chriſtus & Apoſtoli coram vulgo enunciarant, & ex adverſo quædam omnibus exponere & ſeruanda obtrudere, quæ illi ſub diſcrimine & perfectioribus tantum præſcripſerant. Sic continentiam promiſcue a fidelibus exigebat Pinytus apud Euſebium: Syneſius autem de interitu mundi & reſurrectione aliter apud populum ſermocinari, aliter philoſophari volebat. Ex his omnibus rationem occultandi dogmata ab arcani diſciplina diuerſam eſſe colligo quatuor modis, quos nunc verbis in ipſo opere *num. 7.* adhibitis deſcribere operæ pretium puto: Differunt enim ratione obiecti tam realis, quam perſonalis. Hæc circa ritus & Symbola ſacramentorum duntaxat verſabatur: illa quodlibet

fidei myſterium doctrinæque caput ambitu ſuo comprehendebat. Hæc Catechumenos, Iudæos, Ethnicosque reſpiciebat: illa promiſcuum vulgus & idiotas, adeoque ipſos etiam Chriſtianos ſimpliciores & rudiores. Deinde differunt ratione modi, qui plane contrarius eſt. Arcani diſciplina multas verborum ambages ſecum trahebat, quibus in præſentia Catechumenorum & infidelium ritus ſacramentorum obtegendi veniebant: ſed ex aduerſo dogmatum occultatio eiusmodi inuolucra plane reſpuebat, & quoniam ad omnia fidei myſteria ſeſe extendebat, ſimplici, plano, apertoque ſermone rudi populo ea inſtillabat. Porro differunt ratione ſubjecti. Nam diſciplina arcani Orthodoxis erat propria, nec à pleriſque hæreticis obſervabatur, fatente Schelſtratio: dogmatum vero occultatio utrisque erat communis, quanquam hæretici excuſari nequeunt, quod peſſimas impiasque doctrinas tegebant. Differunt denique ratione finis. Etenim occulta dogmatum traditio homines ex fæce vulgi ſimpliciores removebat a tractatione ſubtiliori, quæ captum eorum ſuperabat, & difficultatem potius in ſalutis negotio ipſis creabat. At arcani diſciplina maius in Catechumenis deſiderium generabat, vt ritus tandem & Symbola Sacramentorum tantopere hactenus occultata introſpicerent, & Baptiſmo Cœnaque Domini fruerentur.

Sed cum Schelſtratius de Trinitatis myſterio ſigillatim controuerſiam mouet, idque ad arcani diſciplinam refert; tum modum in eo explicando ab Eccleſiæ Doctoribus obſeruatum deſcribo, & *num. 7.* triplicem auditorum claſſem diſtinguo, vel baptizatorum, vel infidelium, Iudæorum nempe & gentilium, vel Catechumenorum. In prima claſſe cum eruditi & plebeii occurrant, ſubtilius coram illis, ſimplicius coram hiſce myſterium illud tractatum fuiſſe extra dubium pono, variaque exempla profero, inprimis Polycarpi Conciones Catecheticas, cujusmodi extant apud Pionium in vita ejus, quam Halloixius & Bollandus ediderunt. In ſecunda claſſe Iudæis hoc myſterium propoſitum eſſe concedit Schelſtratius; quare de gentilibus tantum manet controuerſia: pro qua decidenda *num. 8.* obſeruo, methodo paullo diuerſa a Doctoribus Chriſtianis religio-

gionem iis vel instillatam vel apud eos defensam. In fide instillanda aliter plebeios, aliter eruditos Ethnicos docuisse videntur. Nam coram promiscua multitudine, cuius maior pars ex plebe constabat, captui eorum sese accommodabant, & Paulli Apostoli apud Athenienses concionantis exemplo de mysterio illo tacebant, ne viderentur πολυθεότητα Gentilium mutatis saltem nominibus introducere; quorsum pertinet Ambrosii locus ex Commentario in caput IX. Lucæ a Schelstratio allegatus. Quoniam vero Gentilium nulli prohibitum erat, publicis Christianorum concionibus interesse, in quibus Trinitatis mysterium sæpe exponebant Doctores, calumnia hinc orta est Tritheismi Christianorum, quam Athanasius Orat. IV. contra Arianos refellit. Si vero in eruditis Ethnicis docendis occuparentur, aliam συγκαταβάσεως speciem adhibebant, a Petauio Prolegomenis in tomum II. Dogmatum Theologicorum cap. III. prolixe expositam, vt Christianum istud mysterium ad Platonis decreta conformarent. Porro cum constet, Orthodoxæ doctrinæ vindices cum Arianis aliisque hæreticis coram iudicibus ethnicis de hoc mysterio disputasse, tum concludo, aut magnæ imprudentiæ priscos Ecclesiæ doctores insimulandos, aut Trinitatis mysterium paganis olim non fuisse plane occultatum. Exemplum profero disputationis Hosii Cordubensis & Gregorii Eliberitani coram Clementino Vicario Hispaniæ, a Marcellino & Faustino in libello precum descriptum, quos cum Athanasio de Hosii morte conciliare studeo, & de conflictu illo ex epistola Eusebii Vercellensis ad ipsum Gregorium in fragmentis Hilarii seruata fidem facio. Addo verba Baronii de aliis ejusmodi disputationibus, & Origenis contra quinque hæreticos conflictum allego, in cuius fine Eutropius Iudex ac Philosophus gentilis præclaram Trinitatis confessionem edit, optoque vt integra Archelai cum Manete coram quatuor iudicibus ethnicis disputatio exstet, cuius tantum fragmenta apud Epiphanium residua sunt. Denique obseruo discrimen notabile, quo disceptare quidem Christianis coram ethnicis licuit de mysterio Trinitatis, non autem de rebus ad Eucharistiæ symbola ritusque spectantibus. Hoc enim cum aliquan-

quando auderent Ariani, grauiter reprehensi sunt a Iulio Papa & Synodo Alexandrina. Quod si autem eadem fuisset vtriusque mysterii occultandi ratio, quemadmodum Schelstratius autumat, Ariani & Orthodoxi de Trinitate coram Ethnicis disputantes non minorem animaduersionem incurrissent. Sic Dionysius Areopagita cum Sociis suis nobilem Trinitatis Confessionem coram judicibus ethnicis edidisse perhibetur a Methodio Constantinopolitano. Laudat Schelstratius infra Blandinam & Bibliadem, quod disciplinam arcani observantes mysterium Eucharistiæ prodere noluerint. Aut igitur Dionysium & Orthodoxos illos Arianorum impugnatores proditionis & violatæ disciplinæ accuset, aut fateatur potius, diuersam methodum in utroque mysterio tradendo veterem Ecclesiam tenuisse, nec mysterium Trinitatis ex disciplinæ arcani præscripto gentilibus occultasse. *Num. 9.* de tertia classe dispicio, quæ Catechumenorum, non ex Iudæis, sed gentilibus, nec Competentium, sed imperfectiorum est. His vt Trinitatis notitiam haud derogatam fuisse commonstrem, Augustini diuersam in instituendis Catechumenis, e plebeiorum, eruditorum, & Rhetorum ordine, methodum, libro de catechizandis rudibus descriptam, explico. Quod plebeios attinet, mysterium hoc illos non potuisse plane ignorare, vel inde liquet, quia Augustinus eos ad lectionem sacrarum scripturarum, quibus notitiam Trinitatis claris & perspicuis verbis contineri Schelstratius sponte fatetur, exhortari vult. Deinde Athanasius in fragmento epistolæ festiualis inter alios libros *τοῖς ἄρτι προσερχομένοις καὶ βουλομένοις κατηχεῖσθαι τὸν τῆς ἐυσεβείας λόγον*, i. e. Catechumenis imperfectioribus speciatim commendari ad legendum solitos numerat *τὸν ποιμένα* siue Pastorem, quem Schelstratius ab Herma Paulli Apostoli discipulo conscriptum censet, & in quo doctrinam Trinitatis non obscuris lineamentis expressam esse Petauius contendit in præfatione allegata cap. 11. Quando igitur librum istum legebant rudiores Catechumeni, non poterant non aliquam Trinitatis ideam animo concipere. Hanc deinde confirmabat Doctorum Christianorum diligens informatio, quam Lucianus etiam, aut si quis

quis alius auctor est, imitatur ac irridet in Dialogo Philopatris; cujus testimonium eo magis notandum est, quod Triephon Catechetæ Christiani personam ibi sustinens Paulli discipulum se facit, vt Apostolicam istam fuisse consuetudinem constet; quam Polycarpi Conciones Catecheticæ supra allegatæ & Philippi Eunuchum Æthiopem Catechizantis exemplum amplius confirmant. Præterea, quis credat, Catechumenos ignorasse Trinitatis mysterium, qui nouerit, eos interfuisse sermonibus Doctorum, quos in Ecclesia ad Populum faciebant, nec istud silentio inuoluebant? Imo in Ecclesia Alexandrina peculiaris viguit ritus a Socrate adnotatus, Catechumenos publicæ sacrarum litterarum lectioni cantuique sacro præficiendi: quotus autem quisque nescit, tam in diuinis codicibus, quam in veterum hymnis Trinitatem celebrari? Atqui indubium est, Catechumenos, antequam in perfectiorem Competentium classem referrentur, Lectorum Cantorumque ordini Alexandriæ fuisse adscriptos. Ecquomodo igitur iis, quamdiu in primo audientium gradu erant, mysterium illud traditum non fuerit? Et cum aliquis opinari possit, in sacros illos ordines non Catechumenos e vulgo, sed ex eruditis fuisse allectos, morem doctos Catechumenos informandi ex Augustino indico, qui non solum *supereminentiori via* cum illis agi vult, sed multa quoque religionis Christianæ capita eosdem cognita habere præsupponit: inter quæ cum dogma Trinitatis haud postremum sit, incredibile est, nihil de eo eruditum percepisse, qui Scripturam sacram & Doctorum Ecclesiasticorum libros sæpissime de hoc mysterio agentes legerat, quod Catechumenum suum consueuisse Augustinus obseruat. Idem confirmatur exemplo duorum eruditorum Catechumenorum, Honorati & Cæsarii, quorum neutri mysterium istud ignotum fuisse probo; illi quidem ex Augustini epistola cxx. qui in Honorato Trinitatis notitiam supponit, & ne quaternitatem in diuinis propter incarnationem cogitet, sollicite cauet; huic vero ex Gregorii Nazianzeni oratione funebri in laudem Cæsarii ipsius, fratris sui, dicta; & ex quæstionibus eiusdem hodienum residuis, quanquam non uno in loco interpolatis, in

quibus multa occurrunt ad mysterium Trinitatis illustrandum vindicandumque pertinentia. Denique tertium scrutor Catechumenorum genus, quod Augustinus ex Grammaticorum Oratorumque scholis deriuat, & inquiro, num eiusmodi etiam hominibus in primo adhuc audientium gradu constitutis Trinitatis mysterium propositum fuerit? Nec vereor adfirmatiue respondere propter illustre Arnobii Rhetoris Afri exemplum, qui imperfectior adhuc Catechumenus existens libros septem aduersus nationes scripsit, ut ex Hieronymi Chronico notum est, inque iis *apertam & omnibus numeris expletam Trinitatis confessionem* edidit, obseruante admirabundo Petavio cap. VI. citatæ præfationis. Tot tantisque argumentis subiicio *num. 10.* Perronii verba ab Albertino pag. 405. allegata, qui diserte fatetur, Catechumenos de Trinitate quotidie fuisse informatos.

Ne autem quidquam dubii remaneat, Schelstratii argumenta *num. 11.* perstringo, mirorque, Pseudo-Clementis recognitiones eum in fronte collocare, inque iis mores Apostolicos contineri persuasum habere. Cum tamen Bellarminus, Mendoza, Sixtus Senensis, & Alexander disputationes illas ex intima Platonis Philosophia depromtas S. Petri non esse uno animiter statuant. Posita autem hac sententia, utique verissima, consequitur, ea etiam *de principali summæ diuinitatis intelligentia* apud imperitam multitudinem occultanda, quæ Schelstratius profert, ad Platonicæ Philosophiæ normam esse interpretanda. Atenimuero notum est Platonis in Timæo monitum, quod periculo non careat, vera de rebus diuinis apud vulgus disserere; Nec minus constat, Platonem Dei vnitatem occultasse, ne simile Socratis supplicium subire cogeretur, quod ex Iustini Martyris Parænesi ad Græcos confirmo. Pseudo-Clemens igitur in verbis a Schelstratio allegatis intelligendus est de occultatione Platonica, quæ tamen non personarum Trinitatem, ad quam a Schelstratio trahitur, sed essentiæ unitatem celandam præscripsit; plane contra morem praxinque Apostolorum, qui nihil magis quam Dei vnitatem inculcare soliti sunt, quemadmodum liber actuum Apostolicorum docet. Sed ego amplius progredior, & veteris Ecclesiæ fini-

ſiniſtrum de Recognitionibus illis iudicium variarumque hæreſeon veſtigia ibi occurrentia altius repetens, quendam Baſilidis ac Bardeſanis diſcipulum ſub venerando Clementis ſchemate latere ſuſpicor. Veteres enim hæretici vt doctrinæ ſuæ fundamentum, ita & occultationem a Platone ſumſerunt, & myſtica ſua principia profanum vulgus celarunt; imo Baſilides eam in rem Chriſti verba de ſancto canibus non dando adhibuit, eodem modo, eodemque ſenſu, quo Petrus apud Pſeudo-Clementem ea applicare fingitur. Sic apud eundem *principalis ſummæ diuinitatis intelligentia* monſtroſum quid portendere, & τῶν ἀρχῶν ἔννοιαν, quam crepare Valentiniani ſolebant, ſapere videtur; quod expeditius cognoſcere poſſemus, ſi Græcus textus ſupereſſet, cum Rufino interpreti ſolenne fuerit, ea reſecare aut interpolare, quæ vel Orthodoxæ religioni, vel ſuæ ſaltem opinioni repugnarent. Ac quoniam Bardeſanes apud Epiphanium plures ἀρχὰς ſiue principia Valentinianis addidiſſe traditur, ſententia mea fert, Bardeſaniſtæ alicuius Spiritum in verbis illis elucere. Quæ multo magis inde confirmatur, quia plurima ex Bardeſanis Dialogo inſerta ſunt nono Recognitionum libro, quod iamtum Sixtus Senenſis obſaruauit. Cum enim prolixum Bardeſanis fragmentum exſtet apud Euſebium Lib. VI. Præparationis Euangelicæ cap. IX. operæ pretium duxi, id cum Recognitionibus conferre. Quo facto inſignem Bardeſaniſtæ fraudem deprehendi, qui Præceptoris ſui verba ita immutavit, vt Apoſtolicum virum referre videantur, & multa de Chriſto, Petro & Thoma admiſcuit, de quibus Bardeſanes nullum verbum edixit. Nunquam itaque me adduci patiar, ut credam, platonicas & hæreticas ſententias Apoſtolicis congruere. De cætero fatetur Schelſtratius, Apoſtolos de indiuidua Trinitate claris & perſpicuis verbis egiſſe in epiſtolis ſuis & ſermonibus, ſed coram gentilibus id factum negat. Ego autem adfirmo, & ex praxi Apoſtolica probo *num. 12.* Lectio nempe epiſtolarum & aliorum ſcriptorum Apoſtolicorum vel publica erat, vel priuata. Publicam ipſi Apoſtoli inſtituerunt, nec ab ea auſcultanda gentiles vnquam prohibiti fuerunt; Vnde manifeſtum eſt, eos doctrinam de Trinitate ex ſcriptura audire potuiſſe. Priuata quoque lectio

iis permiſſa fuit, vt infra pluribus oſtendam, quam inſtituentes hoc myſterium non poterant plane ignorare. Sermones autem Apoſtolici vel ad gentiles πολυθεότητος luto adhuc immerſos, vel veritati agnoſcendæ animum adplicantes dirigebantur. Apud priores prudenti συγκαταβάσει vtebantur Apoſtoli, & vnitatem, non Trinitatem Dei prædicabant, vt apud Lyſtrenſes, Athenienſes & Felicem, quorum exempla Schelſtratius obiecit. Sed apud poſteriores tantam συγκατάβασιν non adhibebant; quales erant, qui in Synagogis cum Iudæis conueniebant. Cum autem agnoſcat Schelſtratius, Apoſtolos paſſim in Synagogis prædicaſſe fidem in Chriſtum vnigenitum æterni Patris Filium, non poteſt negare, eandem prædicationem gentilibus ſimul ibi congregatis impertitam fuiſſe, vt Antiochiæ, Iconii, & aliis locis in Actibus Apoſtolicis commemoratis. Verba Paulli de lacte ſolidoque cibo ad diſciplinam arcani non facere multis rationibus in Diſſertatione mea oſtendi, quas nondum ſoluit Schelſtratius. Clementis vero Alexandrini locum fruſtra repetiit, quem ibidem explicatum dederam. Et quanquam conceſſi, Clementem de dogmatum occultatione agere, cum tamen ea ſecundum ſuperius demonſtrata a diſciplina arcani diuerſiſſima ſit, nihil inde præſidii Schelſtratio accedit; cui potius maxime adverſatur, quod ipſe Clemens in Protreptico ad gentes & Trinitatis & diuinitatis Chriſti clariſſimam facit mentionem, obſeruante etiam Petauio Lib. I. de Trinitate cap. IV. Ambroſii locum a Schelſtratio obiectum *num. 13.* expendo, nullatenus negans, Paullum apud Athenienſes ſubticuiſſe Trinitatem; hanc autem συγκατάβασιν ad diſciplinam arcani referre vtriusque diſcrimen ſupra notatum omnino vetat. Quæ vero de Catechumenis addit Ambroſius, non tam ad Competentes, vt vult Schelſtratius, quam ad Audientes pertinere, ex loquendi uſu apud Ambroſium cæteroſque Latinæ Eccleſiæ ſcriptores recepto euinco, quibus Catechumenus idem eſt, ac in primo gradu conſiſtens, qui alio nomine *audiens* vocabatur. Adeoque Ambroſii teſtimonium ſententiam meam, de Trinitatis myſterio Catechumenis imperfectioribus non occultato, potius firmat, quam infringit.

Cæ-

Cætera, quæ de Symbolo Catechumenis occultato adiicit vir doctus, nihil plane ad occultationem mysterii Trinitatis facere ostendo *num. 14.* Nam si Schelstratii valeret opinio, nulla dari potest ratio, quare cætera symboli mysteria, incarnationis, resurrectionis &c. ab infidelium Catechumenorumque auribus non æque prohibuissent; quæ tamen Apostoli & Patres disertissime prædicarunt, fatente Schelstratio ex Origene adversus Celsum; Et quanquam hic Trinitatis mysterium expresse non addidit, ridiculum tamen foret, omnia Christianæ religionis dogmata occultata fuisse contendere, quæ ibi non nominat Origenes. Præterea Sozomenus Nicænum Symbolum non ea de caussa Historiæ suæ inserere noluit, quod Trinitatis confessionem contineret, sed quoniam illud tanquam tessera Christianismi in Baptismo recitabatur, adeoque ad Baptismi ritus spectabat, qui apud non initiatos ex disciplina arcani abscondendi erant. Nam ipse Sozomenus dogma de ὁμουσία Patris & Filii Lectoribus suis propinat; eodemque modo Chrysostomus homil. LXXVIII. in Ioannem, quanquam Baptismi formulam obscurius etiam commemorat, apertissime tamen doctrinam Trinitatis insinuat. Explicationem verborum Nazianzeni a Casaubono suppeditatam *num. 15.* vindico, & integro Nazianzeni loco descripto doceo, ipsi non de infidelibus aut baptizandis, sed de baptizatis nondum satis fundatis, & a Macedonio seductis, sermonem esse; qui alioqui Oratione XXXVII. XLII. & in aliis coram initiatis pariter ac non-initiatis publice habitis mysterium Trinitatis celebrauit. Deinde Philothei testimonium apud Schelstratium nescio quo casu consilioue *baptismi* vocabulo ad verum eius sensum maxime necessario truncatum ex Casaubono restituo, & ex Nazianzeni Oratione XXXII. sumtum esse moneo, idque non de mysterio Trinitatis, sed de formula symboloque Baptismi occultato intelligendum esse significo. Denique Cyrillum Hierosolymitanum ex seipso interpretor, eumque ad συγκατάβασιν Apostolicam, quam ab arcani disciplina antea pluribus distinxi, respicere, adeoque Schelstratio non patrocinari contendo.

Septem Sacramenta ad disciplinam arcani refert Schel-

ſtratius: cui Auguſtini diſertiſſima verba *num. 16.* oppono ex Commentario in Pſalmum CIII. *Quid eſt, quod occultum eſt, & non publicum in Eccleſia? Sacramentum Baptiſmi, Sacramentum Euchariſtiæ. Opera noſtra bona vident & pagani, Sacramenta vero occultantur illis.* Hunc ego ſequutus proprium diſciplinæ arcani obiectum duo tantum noui fœderis Sacramenta, Baptiſmum & Euchariſtiam conſtituo, & quæ de cæteris Schelſtratius attulit, refuto. Neque enim debuit præſidii quidquam collocare in iis Patrum teſtimoniis, quæ *Myſteria* & *Sacramenta* occultari volunt; quum nemo neſciat, in plurali numero etiam de duobus tantum ſermones inſtitui. Confirmationem ad arcani diſciplinam pertinuiſſe *num. 17.* lubens largior, non tamen tanquam peculiare Sacramentum, quia veteres eam pro parte & complemento ceremoniarum baptiſmalium habuerunt. Nec obſtat, quod iidem Sacramenti vocem latius nonnunquam extenderint; quod ſi enim omnia ad arcani diſciplinam referre velis, quæ illi Sacramenta & myſteria vocarunt, nullum fere abſtruſum dogma, nullus prope ritus eximendus erit. Quod vero ordinationis ritum veteres clam habuerunt, propter analogiam rituum baptiſmalium & Euchariſticorum factum eſt; ſiquidem propter eandem etiam a conſpectu rituum quorundam exequialium non initiati prohibebantur. Sicut autem ritus exequiarum Sacramentis ſuis non accenſet Schelſtratius, ita nec noſtris ordinationem adiungi patiemur. Par ratio eſt Pœnitentiæ, de qua occultanda nihil ſtatuit Innocentius a Schelſtratio allegatus. Apoſtoli autem & Patres nec dogma, nec ritus eius coram non-initiatis occultarunt; quod de illis ex ſcriptis eorum nemini ignotum eſt: de his vero duplici probatur argumento, tum quod Catechumenis legendum dederunt Hermæ Paſtorem, in quo pœnitentiæ doctrina latiſſime traditur; tum quod gentiles ſacerdotis genitalia Chriſtianos colere fingebant, quia pœnitentes coram Antiſtite in genua procumbentes viderant, fatentibus Albaſpinæo & Card. Bona. Extrema denique vnctio modernorum Latinorum ad diſciplinam arcani plane non pertinet. Nullum quippe eius occurrit veſtigium in ſcriptis veterum, qui iis ſæculis floruerunt, quo-

quorum decurſu arcani diſciplina in Eccleſia Latina viguit atque abolita eſt. Schelſtratius quidem contrarium probare conatur, ſe argumentis admodum infirmis. Baſilius enim non ad extremam vnctionem, ſed confirmationem Baptiſmo connexam reſpicit. Auguſtinus autem, cum ait, *quædam* (Sacramenta) *ore accipimus, quædam per totum corpus accipimus;* vti priori commate vnum tantum Euchariſtiæ Sacramentum innuit, non diffitente Schelſtratio, ita poſteriori non niſi vnum Baptiſmi Sacramentum intelligere merito cenſetur: & quemadmodum de Euchariſtia propterea in plurali numero loquitur, quia ex duabus ſpeciebus, corpore & ſanguine Chriſti conficitur; ſic de Baptiſmo etiam pluralem adhibet, quoniam trina immerſione totius corporis in aquam conſtabat. Hieronymi locus nihil huc facit, qui diſerte agit de vnctione non ſpirituali ſiue myſtica, ſed corporali & communi eorum, qui in palæſtris certabant. Iacobus Apoſtolus de miraculoſa vnctione, qua unctus ſanitatem recuperabat, ab antiquioribus & melioribus interpretibus explicatur: eandemque intelligit Innocentius I. docente prolixe Dallæo Lib. II. de extrema vnctione cap. IX. Quanquam igitur concedo, in primitiua Eccleſia fuiſſe aliquam infirmorum vnctionem, ea tamen a moderna Latinorum toto cœlo diuerſa fuit, & quod caput controverſiæ eſt inter me & Schelſtratium, a gentilium conſpectu minime prohibita, ſed illis potius ipſis impertita, ut docet exemplum Proculi Chriſtiani Seuerum per oleum curantis apud Tertullianum lib. ad Scapulam cap. IV. Nec deſunt eruditi, qui cum Gerardo Ioanne Voſſio exiſtimant, Chriſtianorum presbyteros in epiſtola Adriani Imp. ad Seruianum vocari *aliptas*, quia vt iatroliptæ inungebant ægros, ita & Chriſtiani Sacerdotes. Rogo autem Schelſtratium *num. 18.* ut indicet, quamobrem matrimonium plane omiſerit, quod omnino addendum erat, ſiquidem ſeptenarium Sacramentorum numerum ſartum tectumque haberi cupit. Niſi forte animaduertit, id ad arcani diſciplinam minime pertinere. Certe Catechumeni etiam matrimonia contraxerunt, quibus benedictionem ſacerdotalem denegatam fuiſſe nemo credet. Hac autem conceſſa cur cæteros ritus occultatos dicamus? Ter-

Tertia animaduersionum sectione, quæ tertio Apologiæ Schelstratianæ capiti respondet, præcipuum controversiæ caput adgredior, quo Schelstratius per disciplinam arcani & ritus & dogmata, ego autem non dogmata, sed ritus tantum & symbola sacramentorum occultata fuisse contendo. Quid singulis hujus sectionis paragraphis contineatur, præfixis numeris breviter edisseram. I. Gratis placita sua de Paulli lacte repetit Schelstratius, quum in confesso sit, simplicem non obscurum docendi modum siue Catechesin, vt ipse clemens Alexandrinus vocat, per lac ab Apostolo intelligi, eumque a disciplina arcani manifeste differre, cum hæc verborum inuolucra requirat, quæ ille plane respuit. Imo Paullus Corinthios lactis tantum capaces adhuc pronuncians, eucharistiæ tamen mysterium clarissime exponit; & ad Ebræos rationem lactis tradens primam Catechesin inter alia a Baptismo & manuum impositione sumi ostendit, vnde patet, ab Apostolis disciplinam arcani haud obseruatam esse. II. Origenis locum frustra inculcat, qui plane noster est, & quæ præcedenti Sectione ex Basilio diduximus, luculenter confirmat. Æque enim distinguit inter κήρυγμα & dogma, & imperitam plebis multitudinem ab altiori cognitione excludit. Sicut autem Basilium disciplinam arcani non respicere ibidem ostendi, ita nec Origenes de ea agere censeri debet. III. Arnobius apertam Trinitatis confessionem edidit, laudante adeoque Schelstratii adsertis contrariante Petauio; & dogma Baptismi sciuit, verbis: *Feritate atque inhumanitate depositis, resumant ingenia mitiora*, Heraldo interprete, *regenerationem per Baptismum significans.* Nec Eucharistiam plane ignorauit, quæ Schelstratii est sententia. Cum enim ad mores formulasque ethnicorum respicere soleat, tum hoc loco, obseruante optime Heraldo, verba, *illud quod datur*, a gentium mysteriis transtulit. Quia vero vtpote Catechumenus vi disciplinæ arcani ignorauit symbola externa Eucharistiæ, quanquam ex publicis Doctorum Christianorum sermonibus haud dubie nouerat, corpus & sanguinem Christi ibi dari, & accipi, satis habuit indicasse, *dari* aliquid apud Christianos iis,

iis, qui regenerati essent. Sane Ecclesiæ Doctores nunquam *dari* aliquid & *accipi* in sanctissimo illo sacramento dicebant, nisi adderent simul, quid daretur, corpus nempe & sanguis Domini: Vnde perspicuum est, Arnobium, dum *præparationem ad illud, quod datur*, commemorat, dogma Eucharistiæ cognitum habuisse, quod in eo consistit, vt corpus & sanguinem Christi accipiamus, præuia pia probatione, ex præscripto Apostoli. IV. Minutium Felicem dum Trinitatis mysterium occultasse vult Schelstratius, aduersantem rursus habet Petauium, qui in allegatis sæpius Prolegomenis cap. VI. Minutium in Octauio suo Trinitatis confirmasse fidem statuit multisque probauit. Nec potuit Schelstratius in Minutio quærere aut reperire doctrinam modernorum Pontificiorum de incruento Missæ sacrificio, quam ille vtpote omni melioris antiquitatis consensu destitutam procul dubio ignorauit. Imo Octauius apud Minutium nec debuit, nec potuit doctrinam Eucharistiæ explicare. Non debuit, quia directe eam non oppugnabat Cæcilius: nec potuit, quia calumniæ infanticidii (ex doctrina quidem sacramenti ortæ) modum prius non statuisset, quam addidisset, corpus & sanguinem Christi non nude ac visibiliter, sed sub speciebus panis & vini distribui & sumi. Cum igitur symbola ista occultari præciperet disciplina arcani, tum Octauius per solam negationem respondere consultius duxit, quam veram calumniæ originem detegendo Sacramentum prodere. V. Nihil etiam præsidii a Iulio Papa Synodoque Alexandrina accipit Schelstratius. Primo enim nihil apud eos de incruento sacrificio Deo Patri offerendo legitur, quemadmodum dogma Eucharistiæ vir ille insignis antea descripsit. Deinde etiamsi Iulius ad exaggerandum Arianorum crimen corpus & sanguinem Christi nominat, non tamen inter eos & Macarium quæstio erat de reali præsentia, sed hac præsupposita Eusebiani Macario exprobrabant, quod inter sacrorum mysteriorum celebrationem calicem frangens, vinum, cui sanguis Christi vnitus erat, effudisset. Quoniam igitur Ethnicis quoque Iudæisque præsentibus hanc disceptationem instituebant, merito violatæ disciplinæ accusabantur, cum ita & symbolum vini,

& vasa sacra, & ritus Eucharistiæ non-initiatis propalarentur. VI. Magis miror, Epiphanii Ancoratum a Schelstratio proferri, quem inter tales libros numerare oportet, quales nec cum Gentilibus, nec cum Catechumenis communicari poterant. Scriptus enim est ad Presbyteros Suedris, ad Palladium eiusdem vrbis Magistratum, & Orthodoxos apud eos degentes, vt Macedonii hæresin profligaret. Nec in eo disciplina arcani obseruatur, siue ex communi nostrum, siue ex Schelstratii solius hypothesi eam censeas: Non ex communi: nam Symbolum Nicænum & longior fidei formula *τοῖς τῷ ἁγίῳ λουτρῷ προσιοῦσιν, iis, qui baptismo initiandi sunt*, proponenda in fine libri additur, quum ex præscripto potius disciplinæ arcani Epiphanius idem facere debuisset, quod postea fecit Sozomenus, Symbolum istud describere veritus in opere ad non-initiatorum manus peruenturo. Neq; ex sola Schelstratiana: Epiphanius enim in isto volumine Trinitatis mysterium luculenter accurateque pertractat, ex sententia viri docti *ἀμυήτοις* omnino occultandum. Vnde consequitur, Epiphanium ad eos scribentem, qui mysteriorum participes erant, non opus habuisse obscura & circumspecta loquendi ratione, sed verbis illis, *Hoc meum est hoc*, rem ipsius probe cognitam enunciasse. Hinc cum ipsis tanquam præsens cum præsentibus agit, & panem Eucharisticum manu quasi tenens ipsisque ostendens inquit: *ὁρῶμεν, videmus*; quidnam? quod Christus in manus sumsit, panem videlicet: videmus, eum non esse æqualem corpori eius, sed rotundum & sensus expertem &c. VIII. Obseruauerat ex re & vero Albertinus, Chrysostomum & Augustinum passim dicere, corpus & sanguinem Christi manducandum & bibendum nobis a Deo dari; Symbola autem Eucharistica occultare. Schelstratius respondet, si de pane & vino nihil dicendum erat propter Catechumenes, quanto magis de ipso corpore & sanguine Christi coram iis tacendum erat? Sed Augustinus hoc argumentum a minori ad maius plane infringit, quando plurimis locis ab Albertino productis disertissime ac sine ullis verborum ambagibus & corpus & sanguinem Christi nominat, inprimis sermone XLVI. de verbis Domini, quem ipse Schelstratius

tius in Vindiciis Concilii Antiocheni p. 201. citat. Ibi enim Augustinus corpus & sanguinem Christi manducari & bibi sæpissime clamat, nuspiam tamen Symbolorum meminit, sed Catechumenos ad maturandum baptismum indeque pendentem S. Cœnæ usum hortatur. Nec obstat eiusdem tractatus xi. in Ioannem, vnde duo testimonia in contrarium obiicit Schelstratius. Priori enim significat, Catechumenorum ignorantiam inde procedere, quia nondum in baptismo Christum induerant, & consequenter mysteriorum celebrationi non interfuerant, ignorantes adeo, sub pane & vino corpus & sanguinem Christi manducari & bibi; quare capere non poterant, quomodo fideles ea sumerent, quæ post Christi in cœlos adscensum inuisibilia erant. Posteriori comparationem instituit inter Manna & panem Eucharisticum, quem quia Catechumeni ignorabant, certe nesciebant, quid acciperent Christiani. VIII. Oecumenii locum, quem Schelstratius nec Græce nec Latine reperire potuit, & ab Albertino pag. 313. descriptum moneo, & ex editione Parisiensi pag. 498. vtraque lingua recito, & aduersus indicia suppositionis a Viro docto atque Dallæo Lib. II. de Cultus Religiosi obiecto cap. xxIIX. collecta defendo, ita vt nulla contradictioni nota inter narrationem Oecumenii & Lugdunensium epistolam apud Eusebium remaneat. Cum enim indubium sit, singulorum martyrum Lugdunensium acta seorsim fuisse annotata, illique pietatis officio Irenæus manum suam libenter commodasse videatur: tum Oecumenium integra Sancti & Blandinæ acta incidisse, Lugdunensium vero epistolam ex his singulorum martyriorum descriptionibus instar breuiarii adornatam arbitror. Prima autem differentia a Schelstratio allegata inde prouenit, quia locum Oecumenii ipse non inspexit, & Gallicam Arnoldi paraphrasin ita accepit, quasi pronomen *qui* ad *esclaues* pertineret, quod ad *Chrestiens* potius referendum esse Oecumenii verba flagitant, qui χριστιανῶν κατηχουμένων δούλους ab ethnicis comprehensos ait, & eatenus cum Lugduneusium epistola consentit. Alterum quoque discrimen nullum est. Nam quæ Irenæus apud Oecumenium de peruerso mysteriorum Christianorum a seruis & gentilibus in-

tellectu refert, ea Capernaitarum blasphemias ſapere nemo non videt, nec aliter Arnaldus intellexit. At carnis & ſanguinis manducatio ſenſu Capernaitico accepta idem plane eſt cum epulis Thyeſteis, quas Lugdunenſis Eccleſia ſeruos illos commentos eſſe refert. Tertia denique diſcrepantia a Schelſtratio inde quæſita, quod verba apud Oecumenium Blandinæ tributa Bibliadæ potius conueniant, facile tollitur: cum abſurdum non ſit, a duabus fœminis vnum adhiberi innocentiæ argumentum ab interdicto ſanguinis eſu inter Chriſtianos vulgo notum & ab omnibus fere Apologetis vſitatum. Defenſa igitur Oecumenii fide clarisſimum ac præſtantiſſimum pro vera noſtra ſententia teſtimonium habemus, vnde conſtat, dogma Euchariſtiæ nec Catechumenis, nec gentilibus in primitiua Eccleſia celatum fuiſſe. Nam Dominos diſerte κατηχυμένυς vocat Irenæus: Serui autem gentiles erant, ac Dominorum ſuorum dicta in prauum ſenſum traxerunt. Quod addit Schelſtratius, Blandinam & Bibliadem arcani diſciplinam obſeruaſſe, ſine vllo ſententiæ noſtræ diſpendio concedere poſſumus, quum ſane illis incubuiſſet, totam myſterii rationem explanare, & quomodo Chriſti corpus ſub ſpecie panis, ſanguinem vero ſub ſpecie vini acciperent, indicare, adeoque diſciplinam arcani violare, ſi gentilium quæſtionibus ſatisfacere, calumniamque funditus euellere voluiſſent. IX. Obſeruationes Caſauboni ex amoebæis Auguſtini & Maximi Philoſophi epiſtolis aduerſus Schelſtratium vindico, oſtendoque Maximum non potuiſſe ignorare, vel Chriſtum pro Deo coli a Chriſtianis, vel Euchariſtiam ab iis celebrari. Non prius, quia Patres, etiam Africani, in ſcriptis ſuis apologeticis aduerſus gentiles nihil magis frequentiusque inculcare ſolent, quam Chriſtum eſſe Filium Dei diuino cultu proſequendum: Maximus vero ex Eruditorum Gentilium numero erat, de quibus Auguſtinus in libro de Catechizandis rudibus ſcripſit, difficilimum omnino eſſe, vt non multa noſtrarum ſcripturarum litterarumque cognouerint. Non poſterius, quoniam Auguſtini facundiam laudat, nullibi magis quam in concionando exercitam. Auguſtinus autem ſæpiſſime corpus & ſanguinem

Chri-

Christi a fidelibus in Sacramento accipi in homiliis coram promiscuo populo professus est; cui Maximus intermixtus non potuit non illud etiam audire. Quod vero Augustinus in epistola ad eum Sacramenti huius non meminit, nihil obstat: neque enim Maximus de modo præsentiæ Christi quæsiuit, sed tantum, *quis sit* Christianorum Deus; vnde satis habuit Augustinus, ad præcipuum argumentum respicere, illumque instruere, quis sit ille Deus; nullus scil. mortalium, non fictus aut factus &c. X. Theodoreti testimonium vindico, qui Dial. II. disertissime rem Eucharistiæ cœlestem nominat, terrenam vero silentio propter non-initiatos inuoluit. Albertini etiam responsiones ad Perronii obiecta amplius confirmo, exspectans a Schelstratio earum sufficientem dissolutionem, non contemtum. XI. Alia Veterum loca produco, quibus probetur, dogmata Sacramentorum celata haud fuisse. Quod de Baptismo diserte fatetur Albaspinæus, confirmantque Tatiani in Oratione contra Græcos, Iustini Martyris in Apologia, Clementis Alexandrini in Protreptico ad Gentes, aliorumque ibi descripta testimonia. XII. Eucharistiæ Symbola tantum & ritus, non doctrinam occultata fuisse probo ex omnibus illis testimoniis, quæcunque Pontificii pro reali præsentia ex homiliis Patrum coram promiscuo populo habitis depromere solent. Cum enim Schelstratius fateatur, non-initiatos ad audiendum publicos Doctorum sermones haud grauatim admissos; tum perspicuum est, quidquid in iis propositum fuit siue de aliis Christianæ religionis dogmatibus, siue de Eucharistia, ad illorum non minus, quam initiatorum aures peruenisse. Vt vero huius rei exemplum habeamus, aliquot Chrysostomi loca ex Homilia XXCIII. in Matthæum, XLV. in Ioannem, VII. & XXIV. in priorem ad Corinthios, denique ex sermone de beato Philogonio describo, quibus ille ritus quidem Symbolaque Eucharistica occulte, doctrina autem, inprimis realis præsentiæ, clarissime tradidit. Libenter autem ex Schelstratio perciperem caussam, quare Patres in aliis scriptis, quæ pro initiatis tantum concinnabant, nec manibus non-initiatorum exponebant, sæpe multo obscurius de reali præsentia loquantur, & frequentius figu-

ræ, typi, ac ſimilia vocabula adhibeant. Quo fit, vt Caluiniani obiectionum ſuarum maiorem difficilioremque partem non ex vulgaribus homiliis, ſed ex ἀκριβεστέροις Commentariis & ſermonibus ad ſolos fideles habitis depromant. Certe niſi propria vineta cædere velit vir doctus, & diſciplinam arcani circa Euchariſtiæ myſterium apud fideles præcipue, ad quorum vſum ſcripta illa acroamatica cedebant, obſeruatam agnoſcere, nihil aliud reſtat, quam vt diſciplinam hanc non in dogmatibus, ſed in ritibus tantum occupatam fuiſſe mecum ſtatuat. Quo facto facile deprehendet, ex diuerſa potius docendi methodo, quam arcani diſciplina obſcuritatem illam fluere, ac proinde ad perſpicuam ſimplicemque docendi rationem ſpectare, quæ in homiliis coram promiſcuo populo habitis Patres dixerunt; altiorem vero magisque reconditam Philoſophiam ſapere, quæ propoſuerunt in operibus ad perfectiorum informationem ſcriptis. Denique ſubiungo Chriſtiani Lupi ſuffragium, quo Scholio in cap. XLI. Tertulliani de Præſcriptionibus, Caſauboni noſtramque ſententiam de diſciplinæ arcani obiecto præclare comprobat, & propterea Theodoreti teſtimonium paullo ante allegatum eodem ſenſu explicat, quanquam nonnulla de transſubſtantiatione & ſuperfluis Pontificiorum Sacramentis admiſcet, quæ nobis quidem diſplicent, Schelſtratio autem maxime aduerſantur.

Quarta Animaduerſionum Sectione, quæ quarto Apologiæ Schelſtratianæ capiti reſpondet, tempus, quo orta eſt diſciplina arcani, inquiro, *Num. 1.* præcipue notans Schelſtratii conceſſionem, illam non ſemper & æque obſeruatam fuiſſe. Cur ergo vir ille inſignis tantopere repugnat vnico Conſtantini Baptiſmo in vitæ fine ſuſcepto, eo præcipue argumento, quod alioquin in Concilio Nicæno arcani diſciplina violata fuiſſet? Cur non potius concedit, quod Noſtrates, & e ſuis non pauci largiuntur, multa extra ordinem permiſſa fuiſſe Conſtantino fouendo & Eccleſiæ bono conſeruando, quæ alias Catechumenis nequaquam concedebantur? Nam ſi unquam laxandæ diſciplinæ cauſſam habuerunt Patres, ea ſane in Conſtantino ma-

xima

xima fuit, poſtquam Chriſtianiſmnm amplexus eſt, ne diſci-
plinæ aſperitate deterritus ad gentiles relaberetur. Certe ſi Iuſtinus Martyr coram Ethnicis Imperatoribus & Chriſtianorum hoſtibus arcana referare debuit, vt Schelſtratius ſupponit, quanto magis Conſtantino ea exponere conueniebat, qui ante victum Maxentium diuino impulſu paganicam ſuperſtitionem depoſuerat, & religionem Chriſtianam pro virili parte fouebat ac protegebat; quanquam pro more illius ætatis baptiſmum differebat, & in Iordane tingi deſiderabat? *Num. 2.* oraculo Chriſti Matth. vii. arcani diſciplinam inſtitutam eſſe nego multis rationibus. Primo enim eo tempore, quo Chriſtus ad diſcipulos de ſancto canibus non dando loquebatur, Euchariſtiæ Sacramentum inſtitutum nondum erat, nec Baptiſmus cum vniuerſali obſeruandi obligatione inſtitutus erat; ecquomodo igitur de iis rebus occultandis Apoſtolos tunc monuerit Seruator, de quibus nihil adhuc iſtis conſtabat? Deinde Chriſti mandatum generale & univerſale eſt, tam ratione obiecti, quam ratione durationis. Prius patet, quia in ſua latitudine omnia religionis Chriſtianæ myſteria inuoluit: cum autem diſciplina arcani, etiam ex Schelſtratii ſententia, non circa omnia, ſed quædam tantum myſteria verſata ſit, tum luculenter patet, eam a Chriſto ibi non intelligi. Poſterius inde probatur, quia non in poteſtate eſt hominum, immutare illa, quæ à Chriſto ſemel ordinata ſunt: aut alio modo, quam ex eius præſcripto & voluntate tractare, vt appoſite Petauius alicubi ſcribit. Si ergo diſciplinam arcani Chriſtus inſtituiſſet, ea ſane nunquam abroganda foret, Romanaque Eccleſia in maximo verſaretur piaculo, quod eam aboleuit, vtut tam Iudæi in Imperio Romano, quam Ethnici in Oriente Chriſtianis plerunq; intermixti viuant. Præterea Chriſtus per canes & ſues intelligit obſtinatos, epicureos, acriterque reſiſtentes; quales ne cunctos quidem Ethnicos aut Iudæos, multo minus Catechumenos fuiſſe conſtat, quos tamen omnes promiſcue arcani diſciplina a conſpectu ſacramentalium actionum arcebat. Cætera, quæ aduerſus inſtantiam meam ex Ioan. vi. repoſuit Schelſtratius, nihil mihi nocent. Cum enim diſciplinam arcani dogmata non

at-

attigisse euicerim, facile relinquitur, etiamsi a Christo eam obseruatam esse ponamus cum Schelstratio, potuisse tamen illum coram promiscuo populo de corporis sui manducatione sanguinisque bibitione verba facere; quanquam haud ignoro, Christum ibi non de sacramentali, sed spirituali manducatione agere, fatentibus etiam prudentioribus Pontificiis, a quibus in Concilio Tridentino hanc in rem disputatum esse & Suauis & Pallauicinus prodiderunt. Quod vero addit Schelstratius, Christum rationem potius habuisse discipulorum, quam Iudæorum, quos litigaturos sciebat, id sane difficultatem non tollit. Nam is non minus sciebat, plurimos discipulorum non credituros & abituros, solis XII. Apostolis remanentibus. Cum autem plurima iisdem seorsim tradiderit, sane conueniens erat, ut disciplinam arcani a se institutam ipse obseruaret, Apostolosque suo doceret exemplo, quomodo ea sint tenenda. *Num.3.* reliqua a Schelstratio ex sacris litteris obiecta dissoluo, ostendoque, solis Apostolis præsentibus Eucharistiam institutam non esse, quia ministri vtique accumbentibus adstiterunt de cibo potuque adferendo solliciti, quos a conspectu institutionis Sacramenti segregatos & exire iussos nullibi legimus; potius mansisse colligitur ex Lucæ XXII. 27. vbi Christus celebrato sacramento discipulos ad humilitatem hortatur exemplo διακονούντων τοῖς ἀνακειμένοις, tanquam præsentium. Verba Lucæ de discipulis Emaunticis non de Eucharistia, sed vulgari cœna bene interpretantur multi Pontificii, ex quibus Guil. Estii verba rationesque adduco, & Cornelii Iansenii sententiam subiicio, qui Augustinum a Schelstratio allegatum non Eucharistiam, sed tantum figuram Eucharistiæ intelligere contendit. Preces primitiuæ Ecclesiæ Act. I. v. 24. stricte nimis de Eucharisticis accipit Hesychius; antiquior meliorque est interpretatio Cypriani in Expositione Orationis Dominicæ de precibus in communi, quam vocum προσευχὴ & δέησις genuina significatio confirmat, quarum illa bonorum petitionem, hæc malorum deprecationem importat. Denique Lucam per fractionem panis Eucharistiam intelligere nondum confectum reddidit Schelstratius, quum Grotius de agapis verosimilius ex-

explicet, a quo non multum recedit Eſtius. Tantum vero abeſt, vt agapas coram non-initiatis occultarint, vt potius vniuerſam earum rationem Tertullianus in Apologetico ſuo enarrarit. *Num. 4.* reſponſiones Schelſtratii alias diluo. Obieceram ei, in Euangeliis, epiſtolisque Paulli & Ignatii claram fieri myſteriorum mentionem. Reponit ille, Euangelia pro ſolis fidelibus ſcripta fuiſſe, idque ſe infra oſtenſurum; quo ſucceſſu, nos ibidem videbimus. Addit, Epiſtolas Paulli non ad Gentiles, ſed ad fideles ſcriptas eſſe: quod libenter concedo, ſed lectionem tamen earum publicam coram infidelibus & non-initiatis factam Schelſtratius ipſe fatetur, priuatamque iis infra vindicabimus; quomodo igitur eosdem latere potuit myſteriorum notitia? Denique ait, epiſtolam Ignatii ſcriptam eſſe ad Eccleſiam Philadelphienſem: ergo, inquam, pro more illarum epiſtolarum in publico eccleſiæ conuentu plus ſemel lecta fuit; a quo cum ipſe Schelſtratius non prohibeat Gentiles, Iudæos & Catechumenos, quomodo ii non audierint Ignatii de Euchariſtia teſtimonium? *Num. 5.* Petri & Paulli exempla in medium profero, quorum neuter diſciplinam arcani ſeruauit. Petrus enim & dogma Baptiſmi propoſuit in Concione Baptiſmali Act. II. & non-initiatos a rituum illius conſpectu non fuiſſe prohibitos ſupponit I. Epiſt. III. 21. Quum enim Baptiſmus trina immerſione vel adſperſione perageretur, Iudæi non minus ac Ethnici ſpectatores cogitabant, eſſe ablutionem ſordium carnis, qualis in ſacris ſuis erat frequentiſſima. Hanc occupationem, quæ ſane Chriſtianorum non erat, Petrus ibi diluit, veramque baptiſmi rationem & doctrinam explicat. Quod eo magis Schelſtratio aduerſatur, quia non deſunt inter Pontificios, qui cum Natali Alexandro ſtatuunt, Petrum Babylonis nomine Romam obſcure ſignificaſſe propter metum gentilium, in quorum manus hæc forte epiſtola perueniret. Si autem loci nomen reticuit Petrus, quanto cautius diſciplinam arcani ſeruare debuit? At huius ille nullam curam habuit, quod Paullus etiam fecit, vt initio tertiæ Sectionis vidimus: cuius diſcipulum dum ſe iactat Triephon apud Lucianum in Dialogo Philopatris, ſimul innuit,

arcani disciplinam Apostolorum ævo receptam haud fuisse. Hæc enim Orationem Dominicam non-initiatis occultabat, docente post alios Bona: sed Triephon a Critia, Catechumeno plane rudiori, eam vult recitari. *Num. 6.* Schelstratii in Iustino effugium præcludo. Neque enim Iustinus Apologiam suam Imperatori tantum & Senatui, sed etiam *δήμῳ παντὶ Ῥωμαίων*, adeoque toti pæne terrarum orbi optulit. Quæ vero isthæc audacia foret, institutam a Christo & Apostolis disciplinam violare, nullamque excusationem, in rudiorum saltem Christianorum gratiam, addere? Cur sequentes Apologetæ, Tertullianus & Minutius Felix, aliique non eandem libertatem sibi sumserunt, quanquam eandem agentes caussam, nec ignorantes, simplici veritatis confessione calumniantibus optime os obstrui? Nisi potius disciplinæ post Iustinum magis adstrictæ ratio obstitit, omnique modo cauendum dictitauit, ne quando gentilibus Sacramentum proderetur. Nec iuuant Schelstratium suppetiæ, quas ex Plinii epistola accersit. Testes enim, quos Plinius allegat, non sunt *ex Christianis*, vt vir doctus putat, sed ex eorum numero, qui ob fidem abnegatam hoc nomine plane indigni sunt. Atqui non est credibile, apostatas illos præcipuam Christiani cultus partem, qui in Eucharistia consistebat, plane præteriisse. Itaque obscuritas in Plinii verbis occurrens non istis transgressoribus, sed ipsi potius Plinio adscribenda venit, qui & initio epistolæ suam rerum Christianarum ignorantiam diserte fatetur, &, docente Buchnero in Notis, non satis percepta vi vocis Sacramenti, quam ei Christiani indiderant, iusiurandum significatu Romano intelligit. Eadem Plinii inscitia obstitit, quo minus Diaconissarum siue ancillarum Christianarum confessionem distincte exprimeret., sed fidem nostram vt superstitionem prauam & immodicam traduceret. Præterea haud adsentior Schelstratio, Iustinum prima sua Apologia nihil apud Antonium profecisse. Is enim cum reliquis fratribus epistolam pro Christianis ab Imperatore impetrauit, testibus Melitone, ipsoque Marco Aurelio in alio pro iis edicto; vt nihil dicam de quorundam opinione, quod Antoninus Iustino suadente statuam

Chri-

Chriſto dedicarit. Nec opus habuit Iuſtinus, ea quæ ſemel propoſuerat de religionis noſtræ Sacramentis, in altera Apologia repetere, vtpote in quibus nihil fuerat immutatum iſto decem pluriumue annorum ſpatio, quod inter utramque Apologiam interceſſit. Miror autem, a Schelſtratio ad arcani diſciplinam trahi locum Iuſtini in Dialogo cum Tryphone, vbi panis & poculi diſerta fit mentio, quibus tamen nihil magis occultabant ſacri ſilentii auctores. Niſi itaque Iuſtinum eandem cum Arianis culpam reprehenſionemque apud Iulium & Alexandrinos incurriſſe dicamus, fatendum ſane eſt, diſciplinam arcani æius etate nondum fuiſſe introductam. Videat etiam Schelſtratius, quid reſpondeat Petauio, qui Iuſtinum ibi *Chriſtianæ legis ſacrificium ex Malachiæ vaticinio euidentiſſime adſtruere* cenſet; quo pacto rurſus violarit arcani diſciplinam, quæ ex Schelſtratiana hypotheſi dogma de incruento ſacrificio propalare vetabat. *Num. 7.* obſeruo, Lactantium non ſecundum Symbolum Apoſtolicum, ſed ſecundum ſeriem vitæ a Chriſto actæ ſcripſiſſe, nec pro Catechumenis, ſed pro gentilibus inſtitutiones ſuas adornaſſe. Quoniam vero Trinitatis myſterium ibi continetur, Schelſtratii hypotheſis labitur, qua id ad diſciplinam arcani refert. Comminiſcitur quidem, Lactantium propter Arii hæreſin hanc ſibi libertatem ſumſiſſe; ſed cum ex Petauii Dogmatis Theologicis, tum ex vetuſtiſſimi præſertim ſcriptoris apud Euſebium Lib. v. Hiſtoriæ Eccleſiaſticæ cap. xxviii. teſtimonio aperte liquet, diu ante Arium natum Apologetas Chriſtianos diuinitatem Chriſti coram gentilibus profeſſos eſſe. *Num. 8.* ad præceptum Chriſti Matth. vii. regredior, triplicemque interpretum antiquorum claſſem conſtituo, primam illorum, qui varias interpretationes ſæpe a diſciplina arcani non parum diuerſas colligunt ac probant: ſecundam iſtorum, qui de myſteriis verba Chriſti accipi non poſſe contendunt, iis inprimis, quæ dogmatica ſunt, & a Schelſtratio arcani diſciplinæ præcipue tribuuntur: tertiam deniq; eorum, qui de myſteriis quidem explicant, ſed ea tamen adiiciunt, quæ nec ipſe Schelſtratius ad arcani diſciplinam retulerit. Ex Prima profero Iſidorum Peluſiotam Lib. iv. epiſt. 181.

&Lib. 1. epist. 143. Iobium Monachum Lib. VII. de verbo incarnato cap. XXXIII. apud Photium Biblioth. Cod. 222. & ipsum Photium epist. 54. qui simul interpretationem verborum Christi a me supra diductam praeclare confirmat. Ex secunda *Num. 9.* Methodium Patarensem allego, cuius excerpta ex Photii Bibliotheca Combefisius in editionem operum Methodii transtulit. Is igitur nec disciplinam arcani in dogmatum occultatione statuit, nec ab Apostolis obseruatam voluit, quorum tamen vtrumque Schelstratius maxima contentione vrget. Ex tertia *Num. 10.* Hilarium Pictauiensem & Chrysostomum nomino, quorum ille Canone VI. in Matthaeum, hic in Catena Possini, de mysteriis quidem verba Christi explicat, sed exempli loco incarnationem, passionem, & resurrectionem Christi allegat, ad quas tamen Schelstratius diserte fatetur arcani disciplinam sese non extendisse; manifesto argumento, Patres si quando oraculum Christi ad arcani disciplinam accommodant, id tantum applicare, non explicare. His praesuppositis ad expendenda singula Patrum testimonia a Schelstratio congesta *Num. 11.* progredior, eaque ordine persequor, primo Recognitionum Pseudo-Clementis, deinde *num. 12.* Dionysii Areopagitae, *num. 13.* Tertulliani, *num. 14.* Origenis, *num. 15.* Cypriani, *num. 16.* Zenonis Veronensis, *num. 17.* Iulii Papae & Synodi Alexandrinae, *num. 18.* Gregorii Nysseni & Nazianzeni, *num. 19.* Basilii, *num. 20.* Hieronymi, *num. 21.* Epiphanii, *num. 22.* Rufini, *num. 23.* Gaudentii Brixiensis, *num. 24.* Ambrosii & Augustini, *num. 25.* Chrysostomi, *num. 26.* Innocentii, Palladii & Isidori Pelusiotae, *num. 27.* Cyrilli Alexandrini, *num 28.* Sozomeni & Theodoreti, denique *num. 29.* Ferrandi & Fulgentii loca examinans atque ad oculum demonstrans, ea vel de disciplina arcani plane non agere, vel nostrae, non Schelstratianae hypothesi fauere. Posthaec *num. 30.* obseruo, Schelstratium, cum suffragia Patrum summatim colligens dicit, eos adserere, *ex verbis Christi disciplinam arcani introductam fuisse*, incertam plane dubiamque reddere praecipuam suam opinionem, quod ea ab ipso Christo instituta sit: constat enim, subinde in ecclesiam quaedam fuisse introducta *ex verbis Christi* & Apostolorum, quae tamen illis tanquam auctoribus

bus tribui nequeunt. Cum enim ſucceſſu temporis variorum rituum acceſſione augeretur Eccleſiæ diſciplina, nolebant Patres ſiue Epiſcopi nouitatis rei videri, ſed verba exemplaque Chriſti & Apoſtolorum propoſito ſuo paſſim applicabant; quod in iis præſertim ceremoniis obſeruabant, quas ex gentiliſmo repetebant, ne apud ſuos imprimis, qui ex Iudæis crediderant, in contemtum abirent. Ita omnino ſe res habet cum diſciplina arcani. Doctores ſecundo ad finem vergente ſæculo viventes, cum eam in orthodoxam Eccleſiam reciperent, verba Chriſti de margaritis ante porcos non proiiciendis ſæpe in ore habebant, ne nouitatem alere viderentur, aut cum gentilibus colludere, quorum Eleuſinia ſolennis reticentia æmulabatur. Horum exemplum ſequuti proximarum ætatum Patres, ex verbis Chriſti diſciplinam arcani introductam eſſe voluerunt. Nec apoſtolicam antiquitatem diſciplinæ illi conciliat, quod in Eccleſia Orientali & Occidentali obtinuit: nam alios ritus *num. 31.* in medium profero, quos nemo prudens, etiam ex Pontificiis, ab Apoſtolis inſtitutos dixerit. Inter eos imprimis notabilis eſt communio Infantum, de qua tot teſtimonia congeſſit Dallæus Lib. v. de Cultibus Latinorum Religioſis cap. III. & IV. vt ea ſecundum orbis regiones diſponere facile ſit, eo modo, quo Schelſtratius ſuffragia de diſciplina arcani digeſſit. Prouocat quidem, præeunte Alexandro, ad Auguſtini regulam, qua traditionibus Apoſtolicis id accenſetur, quod uniuerſa tenet Eccleſia, nec a Conciliis inſtitutum, ſed ſemper retentum eſt. Sed hæc requiſita diſciplinæ arcani applicari nequeunt. Primo enim ea a Conciliis inſtituta eſt. Modus ſane præſcribitur in Conſtitutionibus, Apoſtolicis vulgo dictis, quæ cum Canonibus eiusdem appellationis continent Syllogen decretorum in vetuſtiſſimis Conciliis ſecundo tertioque ſæculo ſtatutorum, prout communis fere tam Proteſtantium, quam Pontificiorum opinio hodie habet. Deinde perpetuus diſciplinæ arcani vſus in Eccleſia non obtinuit, quippe quam ipſe Schelſtratius & dudum deſiiſſe, & quo tempore adhuc vigebat, non æque ſemper obſeruatam fuiſſe ſponte fatetur. Denique Auguſtini regula de iis agit, quæ Apoſtolorum praxi non ad-

verſantur, clamantibus e contrario omnibus noui fœderis ſcriptis, diſciplinam arcani eos non tenuiſſe. *Num. 32.* ad veram diſciplinæ arcani originem inueſtigandam progredior, quam vt feliciter earum, vniuerſam rituum Eccleſiaſticorum rationem, cuiusmodi ante quartum ſæculum fuit, breuiter conſidero. Apoſtoli poſt Chriſti adſcenſionem in ritibus maximum ad Iudaicos reſpectum habuerunt, quoniam ex Iudæis tota Hieroſolymitana Eccleſia conuerſa erat & conſtabat. Sic horam nonam precationis obſeruarunt Act. III. 2. indeque ortum traxerunt Synodi Hieroſolymitanæ decreta Act. XV. Nec dubito accedere viris doctis, qui primæ & Apoſtolicæ Eccleſiæ regimen ita ad mores Synagogæ conformatum eſſe volunt, vt quæ bene ſeſe habebant, maximeque neceſſaria erant, nihil aut parum mutarentur. Quod *num. 33.* probo variis exemplis a Stephano le Moyne To. II. Variorum Sacrorum pag. 22. 23. 24. collectis, ipſique ſuffragantes allego Ioannem Seldenum, Campegium Vitringam & Iacobum Rhenferdium, atque ex ipſis Pontificiis Petauium, Allatium, Cardinalem Bonam, ac Simonium. Hinc *num. 34.* diſquiro, quamdiu hæc rituum Synagogæ obſervatio in Eccleſia dominata ſit, donec aliis ex gentilium conſuetudine augeretur. Equidem Seldenus ex Virorum doctorum ſententia eam usque ad excidium Hieroſolymitanum ſub Veſpaſiano obtinuiſſe refert. Mihi autem diſtinguendum videtur inter Iudaicas ceremonias, quæ typum Chriſti venturi includebant, & quæ ſaltem *εὐσχημοσύνης καὶ τάξεως* cauſſa in Synagogis receptæ erant. Prioris generis ſunt ſacrificia, agnus paſchalis, circumciſio & ſimilia; quæ ipſi Apoſtoli abrogarunt, non ſimul & ſemel, ſed ſucceſſu temporis, vt ex Actuum Apoſtolicorum libro conſtat. Poſterioris generis ſunt, lectio ſacrorum librorum, dignitas Seniorum, & aliæ Synagogæ conſuetudines, quas ipſi Apoſtoli introduxerunt, & eccleſia diu ſimpliciter ac absque rituum ethnicorum commixtione retinuit. Cuius rei nobile exemplum habemus in Epiſtola Iacobi cap. II. 2. 3. vbi diuerſi generis ſedilia in Chriſtianorum Eccleſia memorantur, ad eundem plane modum, quo in Iudæorum Synagogis exſtructa erant. Cum autem huius epiſtolæ auctor eſſe

cre-

credatur Iacobus Apoſtolus, frater Domini & Hieroſolymorum Epiſcopus, eamque paullo ante martyrium ſcripſiſſe, hinc colligere eſt, usque ad obitum eius hanc Synagogæ cum Eccleſia ſimilitudinem in ritibus obtinuiſſe; quam Iuſtini Martyris adhuc ætate floruiſſe ex Apologia eius patet, ſiquidem ceremoniæ Chriſtianorum conuentuum ibi deſcriptæ cum moribus Synagogæ exacte congruunt. Imo Iuſtinus idem in Dialogo cum Tryphone triplicem ſententiam circa ritus Iudaicos ſua ætate inter Chriſtianos vigentem recitat. Prima eos ad ſalutem neceſſarios iudicat, fuitque veterum hæreticorum, Cerinthi & ſimilium, contra quos ipſis Apoſtolis erat dimicandum. Altera eos retineri libere cum fide in Chriſtum patitur, ipſique Iuſtino arridet. Tertia in alterum declinat extremum, & ad ſalutem pernicioſos cenſet, iisque ſine dubio placuit, qui ex gentiliſmo conuerſi priſtinarum ſuarum conſuetudinum tenaciores erant. Horum poſtremos, vbi præualuerunt, & dignitatibus eccleſiaſticis admoti ſunt, occaſionem dediſſe ſumſiſſeque exiſtimo, mutationem argumentumque illud ceremoniarum ſacrarum attentandi, quod ex ethnicorum ritibus moribusq; transſumtum & in Eccleſiam Chriſti inuectum eſt. Equidem de ea re nuperrime Pompeius Sarnellius in litteris eccleſiaſticis epiſtola 20. diſquiſiuit, ſponteq; faſſus eſt, multos gentilium ritus in maiorem Dæmonis confuſionem iis ereptos, a ſuperſtitione purgatos, myſticaque ſignificatione donatos fuiſſe. Mihi autem initium huius commixtionis accuratius inquirenti, altius non licuit adſcendere, quam ad annos inter Iuſtini Martyris obitum & Tertullianum intercedentes. Quod *num.35.* inde conficio, quia in Iuſtini ſcriptis nulla ritus gentilis in Eccleſiam recepti compareant veſtigia, quæ ſane in Tertulliani operibus clariſſima ſunt. Cum vero Iuſtinus in perſequutione M. Aurelii martyrio vitam finiuerit, credibile eſt, poſt pacem ab eodem Imperatore, miraculoſa per Chriſtianos impetrata pluuia moto, conceſſam, quæ deinceps ſub Commodi imperio perſtitit, rituum augmentum, de quo agimus, enatum eſſe, ſtatimque haud exigua incrementa ſumſiſſe. Fauebat ſumma Eccleſiæ tranquillitas, & plurimorum ex gentilibus

bus honoratioribus conuersio, de qua Eusebius Lib. v. Histor. Ecclesiast. cap. xxi. In hoc optimo rerum statu disciplinam ecclesiæ stabilitam excultamque fuisse quis dubitauerit? præsertim cum ex altera parte gentilium, simplicitatem Christiani cultus irridentium, calumniæ impellebant, vt nostri ad maiestatem sacris sui conciliandam plures ceremonias adsciscerent, partim ex proprio ingenio inuentas, partim ab ethnicis mutuatas. Prioris generis sunt tria illa ad Baptismi ritus additamenta, vnctio, mellisque & lactis gustatio, quæ Grotius epist. 146. & 158. ad Gallos, secundi sæculi ἐπιφύημα censet; cuius sententiam egregie firmat explicatque Dallæus Lib. 1. de Cultibus Latinorum Religiosis cap. ix. & xi. idemque lucem affert Rigaltio, qui in Notis ad Epist. 59. Cypriani censet, Christianos æui proxime (Apostolos) sequentis plusculа ad Baptismi ceremonias addidisse; quod Dallæus benignius interpretandum & usque ad ann. 170. vel 180. (ita ibi legendum est) extendendum suadet: nec ego sine distinctione concesserim Rigaltio, Christianos proximi post Apostolos æui Iudaicas obseruationes retinuisse. Nam illi quidem, qui Iustino Martyri synchroni erant, consuetudines Synagogæ ab ipsis Apostolis retentas simpliciter imitabantur, vt antea vidimus: sed qui post Iustinum vivebant, ritusque plures Apostolicis superaddebant, Baptismales nempe, de quibus Rigaltio sermo est, Iudæorum mores præ oculis habere non potuerunt. In frequentibus enim Iudæorum baptismis, iis præsertim, quibus Proselyti initiabantur, nullum vel olei, vel lactis aut mellis usum fuisse constat. Propterea Christiani vergente secundo sæculo viuentes Iudaicas obseruationes tantum abest, vt libenter retinuerint, ut potius eas, quibus hactenus adsueuerant, vel abrogarint, vel immutarint, impulsi odio in Iudæos Christianis insidiantes ac illudentes. Exempla duo in medium profero; alterum certaminis Paschalis notissimi, quod sub M. Aurelio cœpisse ex Melitone refert Eusebius Lib. iv. cap. 26. alterum censurarum Ecclesiasticarum; quas cum hactenus more Iudaico exercuissent Christiani, in posteriore secundæ Centuriæ parte immutare cœperunt, ostendente Seldeno Lib. 1. de Synedriis

driis

driis cap. ix. Eodem tempore ortus est rigor Ecclesiæ in pœnitentes, non diffitente Schelstratio in Notis ad Canonem ii. Antiochenum cap. x. Artic. i. & Petauius in opere Gallico de pœnitentia publica ostendit, eam neque primo Christianismi sæculo, neque maiori secundi parte præceptam fuisse. Distributio quoque pœnitentium in quatuor classes vergente secundo sæculo constituta videtur, quanquam libenter Schelstratio largior, eas post Tertulliani tempora & Nouati hæresin distin to etiam nomine cognitas fuisse. Porro plures ordines, Subdiaconorum, Lectorum, Cantorum, Ianitorum, Exorcistarum & Acolytorum circa finem secundæ centuriæ institutos arbitror, quia nullum scriptum eo temporis interuallo vetustius eorum meminit, & Marci Liturgia atque Ignatii ad Antiochenos epistola, quibus Schelstratius nititur, suppositionis apud cordatiores suspectæ sunt. Tum denique Chorepiscopos cœpisse putarim, quanquam Schelstratius originem eorum ad tertium sæculum referre malit: ratio enim, quam a multitudine fidelium petit, non minus sæculo secundo conuenit, nec magis pro Ponto, quam pro aliis regionibus facit. His ex ingenio adinuentis alia ex imitatione gentilismi adiecerunt Ecclesiæ Antistites, quorum prolixam seriem recensuit Baronius Ann. xliv. num. 88. aduertentque diligentes antiquitatis scrutatores, pleraque eorum secundo sæculo apud Christianos inualuisse. Plura exempla *num. 36.* adfero, a Baronio quidem ibi omissa, sed ab aliis obseruata. Etenim inter illas Baptismi ceremonias, quarum prima apud Tertullianum mentio est, non paucæ paganorum in tironibus militiæ initiandis consuetudines sapiunt, docente Erasmo Scholiis in Epistolam Hieronymi ad Heliodorum. Formulam solennem in precibus Christianorum Κύριε ἐλέησον a gentilibus sumtam fatetur Brissonius Lib. i. Formularum. Orationis versus Orientem apud Scriptores Tertulliano vetustiores nulla occurrit memoria, vnde, præeunte Chrysostomo Commentario in Danielem, quem Cotelerius edidit, Pineda in Iobum cap. xxxi. eam non ab Apostolis, sed tantum ab Ecclesiæ Patribus præceptam statuit; Lorinus autem in Leuitici cap. xvi. sponte concedit, morem hunc

ex paganiſmo retentum eſſe, cui præiuerat Leo Magnus ſermone vII. de Natiuitate Domini. Eandem originem habet ſolennior martyrum cultus, vt diſerte indicat Gregorius Nyſſenus in panegyrico, quem Gregorio Neocæſarienſi dixit. Hæc & ſimilia omnino comprobant meam opinionem, qua vergente ſecundo ſæculo & deinceps magnum rituum Eccleſiaſticorum augmentum acceſſiſſe ſtatuo; cui amplius confirmandæ *num. 37.* prolixum Tertulliani locum adiicio ex cap. III. & IV. libri de corona militis, vbi plurimos ritus in Eccleſia ſua ætate receptos enumerat, quorum in ſcriptoribus vetuſtioribus nec vola exſtat, nec veſtigium. Inprimis Iuſtinus Martyr accuratam ceremoniarum Chriſtianarum recenſionem inſtituit, nihil quidquam ſe temere prætermiſſurum præfatus, hos tamen ſummo premit ſilentio. Quare poſt Iuſtini martyrium introducti ſint, oportet, ſed antequam ſcripſit Tertullianus, adeoque labente ſecundo ſæculo; quod noſtræ ſententiæ maximum pondus adfert. Negatiua quidem eſt hæc argumentandi ratio, ſed in rituum eccleſiaſticorum origine inquirenda ſummi momenti, & prudentioribus Pontificiis ipſique Schelſtratio probata. Nec quenquam mouere debet, quod traditionis vocabulo vtitur Tertullianus. Dallæus enim lib. I. de Cult. Latin. Relig. cap. XI. ex ipſo Tertulliani contextu oſtendit, eum non de Apoſtolorum, ſed quorumlibet Chriſtianorum traditione agere. *Num. 38.* moneo, non cuilibet, priuato auſu, ſed Synodis Prouincialibus rituum mutationem licuiſſe. Quarum decreta plurima videntur ſeruata in libris, qui Conſtitutionum Canonumque Apoſtolicorum nomine hodie circumferuntur, quorum antiquitatem egregio libro vindicauit Guilielmus Beueregius: & quanquam is nonnulla habet, quæ a veritate abludunt, non poſſunt tamen Lectorem purioris antiquitatis peritum remorari. Præſertim, quando communis nunc eruditorum ſententia eſt, Canones illos Conſtitutionesque Nicæno Concilio antiquiores eſſe, iisque contineri diſciplinam Eccleſiaſticam, qua Eccleſia ante Conſtantinum Magnum regebatur. Quam in rem allego ex Pontificiis Petrum de Marca, Gabrielem Albaſpinæum, Ioan. Morinum,

Ioan.

Ioan. Frontonem & Ioan. Bonam: ex Reformatis Hugonem Grotium, Dauidem Blondellum & Ioan. Pearſonium: ex Noſtratibus Caſparem Zieglerum, Ioan. Schilterum & Ioan. Dieckmannum. Imo huc collimat ipſe Schelſtratius in Notis ad Canonem II. Antiochenum cap. v. num. 2. vbi de Conſtitutionibus Apoſtolicis ſcribit: *Quin hic auctor primam Eccleſiæ diſciplinam ab Apoſtolis & primitiuis Patribus traditam poſteritati conſecrarit, nemini dubium videtur.* Quod de Apoſtolis ſcribit, eatenus ſaltem admittimus, quatenus cum ſcriptis Apoſtolorum genuinis & diſciplina a Iuſtino Martyre deſcripta conſentiunt Conſtitutiones: quod autem de primitiuis Patribus addit, facile concedimus, exiſtimantes adeo, inſigni illi viro non improbanda videri, quæ de augmento rituum Eccleſiaſticorum ſecundo labente ſæculo apud Chriſtianos invehi cœpto hactenus commentati ſumus. *Num. 39.* ex longo diuerticulo ad diſciplinam arcani reuertor, cuius cauſſa hic excurſus inſtitutus fuit. Cum enim omnes illæ ceremoniæ ad maieſtatem ſacris Chriſtianorum conciliandam receptæ ſint, tum nulla maiorem reuerentiam venerationemque attulit, quam ſolennis hæc reticentia. Ex opertis vero Gentilium ſacris, Eleuſiniis præſertim, eandem fuiſſe transſumtam, rituum utrobique obſeruari ſolitorum collatione clariſſime apertiſſimeque poſt Caſaubonum probauit Gebhardus Theodorus Meierus in Commentario de recondita veteris Eccleſiæ Theologia a num. v. usque ad num. XIII. Etenim in ſacris Eleuſiniis ſolenni præconis voce abigebantur ἀλιτροὶ & βέβηλοι. In ſacris Chriſtianorum notiſſimæ ſunt Diaconorum voces, quibus ἀλιτροὶ, videlicet pœnitentes, & βέβηλοι, Catechumeni, Iudæi & Gentiles exire iubebantur. In Eleuſiniis initiati habebant *propria ſigna, propria reſponſa*, vt Iulius Firmicus loquitur, quibus veluti teſſeris a non-initiatis diſtinguebantur. Eodem apud Chriſtianos cenſu veniebant oratio Dominica & Symbola fidei, quibus ii veluti baptiſmi teſſera a Catechumenis & infidelibus ſegregabantur; nec alium in finem panem & vinum, Euchariſtiæ ſymbola, occultabant. Sacra Eleuſinia profanis nec ore nec ſcriptis erant prodenda, imo audire ſaltem non-initiatis ne-

 fas

fas habebatur. Idem ſilentium apud Chriſtianos obſeruatum eſt. Hinc quippe ortum traxit Cyrilli de Catecheſibus celandis præceptum, & anxiæ illæ Patrum cautelæ ac periphraſes ſolis initiatis intellectæ. Et vnde omnes iſtæ voces apud Chriſtianos vſitatiſſimæ, *μυστηρίων*, *τελετῶν*, *ἐποπτείας*, *μυστῶν*, *μεμυημένων*, *ἀμυήτων*, pluresque aliæ in ſermonibus de Sacramentis, quam ex ſacris Eleuſiniis? Vt nullum cuiquam dubium remanere poſſit, quin diſciplinam arcani ad Eleuſiniorum imitationem compoſitam receptamq; eſſe agnoſcat. Porro quoniam ex ſupra demonſtratis relinquitur, ſecundo demum labente ſæculo Chriſtianos rituum Apoſtolicorum ſimplicitatem maiori apparatu auxiſſe, eique exornando non pauca ex gentilium ſacris petiiſſe; nemo non videt, diſciplinam arcani vtrinque multa conferentem ante illud tempus recipi non potuiſſe, tantum abeſt, vt Apoſtolos aut Chriſtum ipſum auctores habeat. Extremo *Num. 40.* corollarium annecto ex vera diſciplinæ arcani origine enatum. Cum enim eam ad modum opertorum gentilium ſacrorum inſtitutam eſſe evicerim, ipſa vero ethnicorum arcana non in dogmatum, ſed rituum Symbolorumque occultatione conſtiterint: tum luculenter patet, apud Chriſtianos quoque idem factitatum, adeoque ex diſciplinæ arcani præſcripto non doctrinam, ſed ritus & ſymbola tantum in occulto ſeruata fuiſſe.

Quinta Animaduerſionum Sectione, quæ quinto Apologiæ capiti reſpondet, duo argumenta vindico, quibus Schelſtratianam hypotheſin in Diſſertatione mea oppugnaueram. Priori ex gentilium accuſatione de Thyeſteis epulis deſumto probaui, cognitam ipſis fuiſſe doctrinam Chriſtianorum publicam de Euchariſtiæ Sacramento. Cui defendendo integra Tertulliani & Origenis loca *Segmento I.* deſcribo, quibus initium auctoresque putidæ illius calumniæ produnt. Illud Tertullianus deriuat *a Tiberio;* Origenes ab *initio doctrinæ Chriſtianæ.* Hos Tertullianus dicit *hoſpites* & *extraneos*, primoque loco ponit *Iudæos;* Origenes ſimpliciter in *Iudæos* culpam confert. Quid autem Iudæi initio prædicationis Euangelicæ

ex in vulgus sparserint, non aliunde melius cognoscitur, quam e Iustini Dialogo cum Tryphone, vnde duo prolixa testimonia ex pag. 234. & 335. transfero, quorum pauca latine hic legenda propinabo. Ex priori: *Viros eximios Hierosolymis delectos in terram omnem tum legastis, dicentes, haeresin sectamque Christianorum nullius numinis cultricem exstitisse; atque ea contra nos sermonibus spargentes, quae cuncti, qui nos non norunt, iactant. Itaque non ipsi modo vobis iniquitatis estis caussa, sed aliis quoque prorsus mortalibus vniuersis.* Ex posteriori: *quaeque calumniose sermonibus spargerent, docuisse etiam ea illum* (Christum) *quae impia & iniqua & impura apud omne genus hominum esse iactatis, contra eos, qui illum Christum & Doctorem & Filium Dei esse profitentur.* Ex duplici hoc Iustini testimonio clarissime liquet, Iudaeos calumniarum in Christianos sparsarum auctores esse. Quid enim aliud iactarunt illi, qui Christianos non norunt, quam Thyesteas epulas, & Oedipodeos concubitus? ut ipse Iustinus eodem Dialogo adfirmat pag. 227. Huc quoque facit, quod Eusebius ἐν τοῖς παλαιῶν συγγράμμασι se legisse refert, Scribas & Sacerdotes Iudaeorum epistolas in omnes gentes misisse, quibus Christi doctrinam vt alienam & peregrinam a Deo traducerent. Locus Eusebii exstat in Catena Graeca ad Esaiae cap. xiix. indeque citatur a Stephano le Moyne to. ii. Var. Sacr. pag. 6. Ex quibus omnibus valide refellitur Schelstratius, qui Simonem Magum & similes haereticos harum calumniarum auctores mallet, & alium Eusebii locum ex lib. iv. Historiae cap. vii. obiicit, quem *Segm. II.* vindico. Eum quidem Schelstratius ita interpretatur, quasi Simon eiusque discipuli, Carpocrates & alii, calumniam de Thyesteis epulis in vulgus sparserint, quoniam ante haeresin occultis Christianorum sacris interfuerant. At Eusebius potius vult, Gnosticos, qua appellatione omnis illa perditissimorum haereticorum colluvies superbiebat, nefandis suis sceleribus & promiscua libidine occasionem ethnicis dedisse, spurcissimos eiusmodi mores orthodoxis etiam Christianis adfingendi, nomenque eorum calumniis proscindendi. Hunc verborum Eusebii sensum agnouit Dallaeus, Lib. ii. de Cultus religiosi obiecto cap. xxvii. & ex Irenaeo Clementeque Alexan-

drino desumtum ostendit, quanquam in eo cum Schelstratio alucinatur, quod calumniam istam ex Eucharistia natam esse negat. Quid enim obstat, quo minus utrumque verum sit? Cur non Iudæi falsum istum rumorem, haud aliunde quam ex doctrina Christi de manducanda carne & bibendo sanguine eius acceptum, in vulgus sparserint, quem deinde gentiles, Christiano pariter nomini infensissimi, auide arripientes, & an verus sit, inquirentes, ad scelerata Gnosticorum delubra perlati auxerint, Orthodoxis siue per imperitiam, sive per destinatam animi improbitatem tribuendo, quæ hæreticorum propria erant? Vt autem utramque hanc calumniæ caussam statuam, inuicta temporis ratio omnino requirit, quam nec a Schelstratio, nec a Dallæo observatam esse miror. Nam Iustini Martyris, Tertulliani, Origenis, aliorumque veterum suffragia dubitare neminem sinunt, quin a Iudæis initio doctrinæ Christianæ, Tiberio adhuc imperante, in omnem terram vulgata sint falsissima ista dicteria. At eo tempore nondum exorti erant Carpocratiani, (de quibus eo in loco Eusebio sermo est) quorum initium ipse Schelstratius ad ann. Traiani 19. Christi 116. ponit. Præterea Schelstratius fatetur, Christianos coram Traiano & Plinio hoc nomine delatos fuisse, quod etiam ante ortos Carpocratianos factum est. Nec cogitare licet de Simone, qui cum adseclis suis clam agebat, non publice, vt Carpocratiani, teste Eusebio, cum hoc loco, tum Lib. II. cap. XIII. Quare non Simonianorum sed Carpocratianorum mali mores innotuerunt. Imo antequam ulla hæresis inter Christianos audiretur, calumnias illas a Iudæis divulgatas esse luculenter docet Iustinus, quando ait, τότε, *tum*, cum nempe cognouissent, Christum resurrexisse & ascendisse, missos mendaciorum artifices in omnem terram; quorsum spectant verba Matthæi cap. XXIIX. v. 11. 15. Perstant ergo firma & salva, quæcunque in Dissertatione mea super hoc argumento attuli, vt probarem, Gentiles ex Christiano de Eucharistia dogmate calumniandi ansam arripuisse: quod sane disertis verbis fatetur Iacobus Nouetus, ibidem Schelstratio a me obiectus, sed ab eo profundo silentio prætermissus, cui tamen vtpote eidem religio-

gioni addicto præcipue respondendum erat. *Segm. III.* ad instantiam viri docti respondeo, qua putat, crassam potius ignorantiam mysterii illius apud ethnicos referre istam calumniam, prout apud Minutium Felicem a Cæcilio instruitur. Quotus enim quisque nescit, Christum de corporis & sanguinis sui manducatione & bibitione Capernaumi docuisse, puerilemque simplicitatem discipulis toties commendasse? Similiter Apostolos in sermonibus atque epistolis fecisse constat. Imo mansit deinde in veteri Ecclesia vsus, vt Christiani ob simplicitatem suauitatemque morum, pueri nuncuparentur, quem pro scriptis Dionysii Areopagitæ vrgent Halloixius & Alexander, non inuito, credo, Schelstratio. Probant autem ex Clemente Alexandrino Lib. I. Pædagogi cap. II. cuius cap. IV. eodem tropo doctrina Eucharistiæ explicatur. Vnde colligere est, dogma illud Minutii ætate ita proponi consueuisse, quoniam illum Clementi synchronum esse haud difficulter concedit Schelstratius: ecquomodo igitur inficiari poterit, ex publica ista Christianorum doctrina perperam intellecta & malitiose detorta calumniam infanticidii ortum traxisse? Ex his autem elicio *Segm IV.* disciplinam arcani non posse consistere cum eiusmodi calumniis, quæ si tum obtinuisset, infideles ne rituum quidem notitiam habuissent. At hos etiam illis innotuisse patet ex altera calumnia incestus promiscuique concubitus, quæ ex osculo, pro more veteris Ecclesiæ ad ceremonias Eucharisticas pertinente, sine dubio originem traxit, innuente Clemente Alexandrino, nec diffitente Cardinali Bona. Notabile insuper est, introducta arcani disciplina paullatim desiisse horrendorum criminum imputationes, donec plane in fumos ventosque abirent, mortuis scilicet illis, qui apertis adhuc Christianorum sacris interfuerant, posteris autem a conspectu eorum exclusis. Dallæus hoc calumniarum decrementum aduertens eas quidem vltra Tertulliani tempora consistere non potuisse recte dicit, sed quia cum Schelstratio ex Eucharistiæ mysterio ortas negabat, & ex nefariis hæreticorum sacris efficta statuebat, vna cum hæreticis illis euanuisse vult. Quod sane veritati haud consentaneum est, cum Gnosticorum

tur-

turpitudines adhuc Epiphanii ætate perstiterint, qui ad paria flagitia seipsum sollicitatum refert Hær. xxvi. Deinde ad alterum argumentum in Disputatione mea adhibitum *Segm. V.* progredior, & primo Noui Testamenti scripta in communem gentium usum Græce consignata esse probo testimoniis, cum antiquioribus, Clementis Alexandrini lib. I. Stromatum & Theodoreti Serm. viii. de curandis Græcorum affectibus, tum recentioribus, etiam Pontificiorum, Benedicti Ariæ Montani & Guidonis Fabritii Boderiani; laudoque divinam prouidentiam, quæ inualescente Christianismo, iis quoque populis prospexit, qui Græcum idioma nesciebant, ac in alias linguas sacros libros transferri curavit, ut patet ex Augustino Lib. II. de Doctrina Christiana cap. v. & Theodoreto serm. v. de curatione Græcarum affectionum. Deinde *Segm. VI.* noui fœderis libros duobus primis sæculis ab ethnicis passim legi consueuisse multis argumentis ostendo. Quanquam enim Schelstratius in genere de *sacræ Scripturæ codicibus* quæstionem format, de veteri tamen Testamento controuersia non est, nec esse potest, quia veteres Patres toties plagii ex sacris litteris antiquos Philosophos postulant, plurimaque loca in gentilium scriptis ex Veteris Testamenti libris depromta occurrunt, quæ Huetius in illustri Demonstrationis Euangelicæ Opere collegit. Itaque de scriptis Noui Testamenti primum argumentum inde conficio, quia ipsi ethnici vel allegant vel suggillant Apostolos & Euangelistas, quorum neutrum absque librorum illorum lectione fieri potuisse palam est. Quam in rem iterum produco Huetii de Porphyrio, Philostrato & Amelio Euangelia vel carpentibus vel vsurpantibus obseruationes, ac subiungo exempla plurium ipsis vel coæuorum vel iuniorum; nempe Celsi, quem Chrysostomus Homil. vi. in I. ad Corinthios ad probandam librorum noui fœderis antiquitatem non dubitavit allegare; tum Iustini Martyris & Theophili Antiocheni, quorum vterque libros sacros ante conuersionem se legisse testatur; Commodiani, quem inter sæculares litteras etiam nostras legendo fidei occasionem accepisse refert Gennadius; Hypatiæ, quæ de principio Euangelii Ioannis cum Cyrillo Alex-

Alexandrino per epiſtolam diiputauit, editam a Chriſtiano Lupo inter alias epiſtolas ad Concilium Epheſinum ſpectantes, cap. ccxvi. His adnecto vetuſtiſſimum conuitium, quod pagani ob barbariſmos & ſolœciſmos Apoſtolis faciebant: Nullatenus autem de ſtylo iudicare potuiſſent, niſi copia legendi habita. Sic quando Petauius ſcribit, Origenem allegorias ſectandi occaſionem ſumſiſſe ex contemtu Chriſtianorum dogmatum ſacræque ſcripturæ apud ethnicos, vtique ſupponit, ethnicis diuina volumina patuiſſe. *Segm. VIII.* Schelſtratii obiectiones diſſoluo, & cum is præcipue vrgeat, Euangelia & epiſtolas Apoſtolorum ad ſolas fidelium Eccleſias ſcripta in iisque lecta eſſe, nihil inde conſequi oſtendo, quoniam & veteris Teſtamenti volumina pro ſolis Ebræis primo adornata ſunt, gentilibus tamen ad legendum permiſſa. Deinde Chriſti mandatum & finis ſcriptorum Apoſtolicorum & praxis gentium aduerſatur. Chriſtus mandauerat Apoſtolis, vt per orbem vniuerſum Euangelium docerent, quod eos & voce & ſcriptis ſequutos eſſe ſponte fatetur Schelſtratius. Sicuti ergo Apoſtoli oralem prædicationem nulli genti denegarunt, ita etiam ſcripta eorum ad omnes pertinuerunt; inprimis quia Chriſti præceptum non illius ſolum, ſed etiam ſequuturi temporis gentes reſpexit. Porro quia iam Iudæi per legatos & epiſtolas in totum orbem miſſas curſum Euangelii impedire tentabant, hinc ſcite deducit Moynius, occaſionem haud poſtremam Apoſtolis natam eſſe, voce ſcriptisque homines melius de Chriſtianiſmo informandi. Sic Euangelia etiam a Gentilibus lecta eſſe exempla ſupra adducta ſatis euincunt: de Iudæis vero fidem facit Trypho in Dialogo cum Iuſtino Martyre, & quod Epiphanius refert Hær. xxx. Euangelium Ioannis & Acta Apoſtolica in Gazophylacio Iudæorum Tiberiadenſium Ebraico idiomate ſeruata fuiſſe. Huetius denique probe vidit, locum Paulli de Euangelio Lucæ per eccleſias lecto, quem Schelſtratius nobis obiecit, nihil prohibere, quo minus id Philoſtratus & legerit & exſcripſerit; ideoque eadem pagina vtrunque inculcat. Pergit Schelſtratius, & Gentiles Iudæosque a publica etiam ſacrarum litterarum in Eccleſiis lectione

 pro-

prohibitos vult. Sed *Segm. IX.* obseruo, hanc rationem a particulari concludere, quoniam in plerisque Ecclesiis non-initiatos ad audiendas diuinas scripturas admissos fuisse ipse fatetur Schelstratius. Imo mea ita fert sententia, initio Christianismi hunc morem vbivis obtinuisse, quem deinde aduersus quosdam nouaturientes & ἀμυήτυς ab auditu sacrarum lectionum excludentes, stabiliverint Concilia, Laodicenum, Valentinum & Carthaginense, quod de Laodiceno exsertis verbis ipse Schelstratius statuit in Vindiciis Concilii Antiocheni pag. 200. Liturgiam Iacobi νοθείας accuso, & quamuis vt germana admittantur, quæ inde Schelstratius citauit, nihil tamen præsidii ei accedit, quoniam Iacobo adhuc viuente pleraque scriptorum noui fœderis nondum erant concinnata. Quando denique subdit vir ille insignis, ex trium priorum sæculorum monumentis colligi posse, Iudæos & Gentiles ne quidem ad missam Catechumenorum admissos, vellem, vt testimonia quædam adiecisset. Contrarium enim ex eodem Tertulliani loco mihi colligere videor, ex quo ille Catechumenos ad conciones audiendas admissos probauerat; idque confirmo ex Origenis homilia XIX. in Ieremiam, Iustini Apologetico, ipsoque Paullo I. Corinth. XIV. 23. 24. 25. & egregiam Morini confessionem de auditu ad lectionem concionemque sacram infidelibus semper concesso subiungo ex lib. VI. de Pœnitentia cap. IV. Tandem *Segm. X.* euinco, Schelstratium gratis ad Diocletiani persequutionem prouocare. Neque enim illius ætatis Christiani sacros codices ethnicis tradere noluerunt, quod lectionem iis inuiderent, sed quoniam vniuersalis eorum exstirpatio decreta & mandata erat ab Imperatoribus, Christianæ doctrinæ Scripturarum sacrarum combustione exitium finemque illatum iri putantibus: vt ex Eusebio, Lactantio, Arnobio, Actisque Philippi Hadrianopolitani apud Mabillonium & aliis apud Baronium manifestissime liquet. Traditores itaque appellabantur, non qui sacros codices legendos, sed qui comburendos ethnicis tradebant. Tertio Catechumenis nec publica nec priuata lectione scripturæ interdictum fuisse *Segm. XI.* demonstro. Prius quidem ex Dionysii Hierar-

rarchia Ecclesiastica cap. III. pro cuius Apostolica antiquitate Schelstratius acerrime pugnare solet. Posterius vero exemplo Constantini, adhuc Catechumeni, scripturas perlegentis, teste Eusebio lib. I. de vita eius cap. XXXII. nec diffitente Schelstratio infra, ubi de illius baptismo agit. Patris vestigiis institit Constantius, quem in lectione scripturarum hospitem haud fuisse binis vicibus indicat Athanasius in Apologia ipsi oblata.

Sectione sexta Animaduersionum, quæ sexto Apologiæ Schelstratianæ capiti respondet, *Num. 1.* moneo, Schelstratium frustra supponere, initio ecclesiæ Gentiles, Iudæos & Catechumenos omnino a Sacrificio exclusos fuisse. Nullibi enim in sacris N. T. litteris vel Eucharistiæ Sacramentum sacrificii nomine venit, vel vestigium vllum peculiaris Catechumenorum ordinis, qualis fuit postea, occurrit. Potius efficacissima Apostolorum doctrina eiusmodi ordinem plane excludit; & similitudo rituum ecclesiæ ac Synagogæ supra demonstrata fidem facit, quemadmodum Iudæi nec ethnicos nec proselytos a Synagogarum accessu rituumue contemplatione prohibuerunt, ita etiam primos Christianos consuevisse, donec aliis moribus vivere & inter alios gentilium ritus profanorum quoque dimissionem suscipere cœperunt. *Num. 2.* meam sententiam propono, solennem videlicet infidelium & Catechumenorum dimissionem cum disciplina arcani ad finem secundi sæculi institutam esse. Antiquissimus liber, in quo eius habetur mentio, Constitutiones sunt Apostolicæ, ut vulgo audiunt, sed vergente demum secundo sæculo adornari cœptæ. Schelstratius quidem antiquiora se putat proferre, sed quæ vel nihil ad rem faciunt, vel suppostitia ac reuera recentiora sunt. Prioris generis est disputatio de pluralitate rituum eucharisticorum ab ipsis Apostolis crescente fidelium multitudine inuecta, quam verbis fere Cardinalis Bonæ instituit. At Gregorius Magnus Apostolos tantum Oratione Dominica & verbis institutionis vsos refert: nec ipsi aduersantur, quæ ex aliis Patribus Schelstratius congerit. Nam Gregorius ipsum con-

consecrandi actum respicit: reliqui autem totum cultus diuini publici (cuius haud postrema pars est Eucharistia) apparatum, variis precibus, hymnis, lectionibusque constantem, intelligunt. Quod sane Augustinum facere *num. 3.* luculenter ostendo. Chrysostomi vero locum huc plane non pertinere *num. 4.* verbis Dallæi lib. IX. de Cult. Latin. Relig. cap. III. evinco, qui Goarum eodem vtentem refellit. *Num. 5.* Procli testimonium νοθείας suspectum reddo, partim suffragiis Albertini, Allatii & Simonii, partim argumentis. Deinde Epiphanii genuinum sensum expono, eique Iacobi Liturgiam, prout hodie exstat, cognitam non fuisse, imo hanc ita ex Bellarmini sententia interpolatam esse, vt non sit facile diiudicare, quæ Iacobum habeant auctorem, commonstro. *Num. 6.* reliqua a Schelstratio producta veterum loca excutio, & ex Constitutionibus Apostolicis meam opinionem rursus confirmo, Dionysium Hierarchicum antiquitatem Apostolicam ementientem ex testium numero semoueo, Tertullianum ex auctoritate & usu Ecclesiæ sui æui Marcionitas impugnare obseruo, nec Augustini regulam huc facere doceo, quia dimissionis non-initiatorum haud perpetuus in Occidentali Ecclesia usus floruerit. Propterea *Num. 7.* Cardinalis Boni sententiam probo, qui diuisionem Catechumenorum & consequenter disciplinam arcani circa annum 700. in Ecclesia Latina desiisse statuit. Hanc impugnat quidem Schelstratius, sed argumentis Cardinalis non satisfacit, quibus ego plura adiungens *num. 8.* obiectiones Schelstratii diluo, & responsiones Cardinalis ad loca Amalarii & Belethi amplius confirmo. *Num. 9.* disciplinam arcani in Oriente supra quintum sæculum durasse probo ex Actis Siræ Martyris apud Papebrochium tomo quarto Maii, quorum Auctor dum ministros ritusque baptismi reticere vult, disciplinam arcani omnino tenet. Sic Maximus Martyr initio Dialogi I. de Trinitate disciplinam illam seruat, & fidei Symbolum prodere non vult, cuius verba *num. 10.* describo, & cum isti Dialogi falso sub Athanasii nomine prodierint, ipsum Schelstratium Maximo eos adserere indico. Deniq; *num. 11. & 12.* Christiani Lupi sententiam de perpetuo disciplinæ arcani apud Græcos vsu allego, & quæ de eo apud Occidentales habet, cum necessariis emendationibus subiicio.

Septi-

Septimam Animaduerſionum Sectionem, quæ ſeptimo Apologiæ Schelſtratii capiti reſpondet, in octo etiam Articulos cum illo diuido. *Articulo I.* de ſeptem Sacramentis agimus, quorum definitus numerus ſeptenarius quod apud Patres non reperiatur, ex diſciplina arcani ortum putat Schelſtratius. Atqui conſtat, plura Patrum ſcripta ad initiatos & fideles directa eſſe, quam Catechumenorum vel infidelium manibus expoſita. Quanquam igitur in his vel plane non, vel obſcure Sacramentorum meminiſſent, non debuerunt tamen numerum eorum definitum ſilere in illis, ſi ſeptem diſtincta agnouere, quod vult Schelſtratius. Neque enim fas erat, initiatos in ambiguo relinquere: imo cum de duobus proprie dictis Sacramentis, Baptiſmo & Cœna Domini, tam clare aperteque in eiusmodi ſcriptis agant, certe incredibile eſt, tantum de reliquis quinque eos tenere ſilentium; niſi abſurde fingas, accuratiorem cognitionem & fidelibus & infidelibus eos inuidiſſe. Quare non poſſumus aliter, quam vt credamus, quinque Pontificiorum ſuperflua Sacramenta eos pro proprie dictis non agnoviſſe. Vellem etiam, vt Schelſtratius nominaſſet vllum veterem ſcriptorem Hugone Victorino antiquiorem, qui ſeptenarium Sacramentorum numerum definiuerit. Hugonem enim primum hanc ſibi audaciam ſumſiſſe, quam poſtea Concilium Florentinum approbarit, ante quod etiam nulla Synodus idem fecerit, eruditi obſeruarunt. Græcorum vero conſenſum quando inculcat Schelſtratius, ignorare non potuit, quantuscunq; in numero Sacramentorum conſenſus appareat, non deeſſe tamen diſſenſum in explicatione & vſu. Teſtimonia, quæ allegat, ex Allatii lib. III. de Perpetuo Conſenſu cap. XVI. maximan partem deſumſit, & in eo alucinatus eſt, quod Iobium Monachum apud Photium putauit, quem Allatius Iobum Monachum dixerat, labente ſæculo tertio decimo viuentem. Recentiores autem Græculi, quos allegat, quam exiguæ auctoritatis ſint, Thomas Smith in Miſcellaneis erudite diduxit. Porro cæteros Orientales Chriſtianos in ſeptenario numero cum Latinis conuenire teſtibus minime ſuſpectis confirmare debuerat Schelſtratius, quem haud latebat, id non a noſtris ſolum, ſed & a multis ſuorum negari. Denique ſubiungo Dionyſii

nysii Hierarchici sententiam, qui non nisi sex agnoscit Sacramenta, quorum quatuor cum fidei suæ sociis amplecti potest Schelstratius, reliqua duo, consecrationem monasticam, & ceremonias in mortuos, non minus ac nos repudiare debet, si numerum suum septenarium integrum seruari cupit. Quoniam vero illum pro vero Areopagita & æqui Apostolici scriptore venditat, libenter perciperem, quomodo eius auctoritatem sit declinaturus. Scio, Allatium magno studio id conatum esse, sed ipse tandem aliter respondere nequit, quam Patres multas res vocare Sacramenta, quæ proprie Sacramenta non sint. Quod si dixerit etiam Schelstratius, simul omnia euertet, quæ hactenus pro quinque superfluis suorum Sacramentis congessit.

Articulo II. celebrem de scriptis Dionysianis controuersiam persequor, & postquam Schelstratio Cardinalis Bonæ nobiscum sentientis exemplum commendaui, & argumenta Launoii ab Antonio Reisero in Libro, quo eum Veritatis Evangelicæ Confessorem monstrauit, cum aduersus alios, tum aduersus ipsum Schelstratium defensa esse monui, & quorundam sententiam novissime a Guilielmo Caue propugnatam, quasi Apollinaris librorum illorum auctor esset, in medio reliqui; ad expendendas Schelstratii obiectiones memet accingo. Is primo obiicit Chrysostomi Orationem de Pseudoprophetis; sed quia ab Albertino eam in dubium vocari videt ob Nestorii mentionem, locum illum interpolatum & Nestorii nomen a recentioribus additum esse contendit. Verum si quidquam valet vnanimis Codicum consensus, quem tantopere vir doctus aduersus me de Hieronymi loco dubitantem vrget, Nestorii nomen ab ipso sermonis auctore esse oportet adseueremus. Legitur enim in omnibus Codicibus, quos vel Ducæus, vel Sauilius, vel ipse denique Schelstratius adhibuerunt; & quamuis nonnulli interpolati sint, omnes tamen Nestorium habent. Chiffletius quidem dicit, Nestorii nullam mentionem in editione Ducæana apparere. Sed aliud nos docet Schelstratius, editionem illam allegans, vbi diserte τοῦ Νεστορίου legitur. Nec quidquam iuuat, quod vel recentiores Græci, vel Anastasius Bibliothecarius cygneam Chrysostomi cantionem esse velint. Hic enim illos sequitur, cæcos plane in re Critica duces. Fortissima sane argumenta sunt, quæ

Ducæus,

Ducæus, Riuetus & Dallæus ad probandam eius νοθείαν congerunt, quam Cardinalis Bona & Labbeus non obſcure largiuntur. Optime Vſſerius Ioannem Neſteutam ſiue Ieiunatorem, qui labente ſexto ſæculo Patriarcha CPtanus fuit, verum auctorem putauit, cuius coniecturam Pearſonius egregiis argumentis firmauit. Deinde Nazianzenum citat Schelſtratius, qui tamen nec Dionyſium nominat, nec etiamſi eum reſpexiſſe concedatur, noſtram ſententiam de ſcriptis Hierarchicis quarto demum ſæculo natis infringit, vt ex Pearſonii Vindiciis patet. Tertio Athanaſium & Clementem Alexandrinum vir doctus adfert, ſed ex Baronii tantum & Halloixii ſententia. Quod caute prudenterque fecit, quoniam inter omnes conſtat, Quæſtiones ad Antiochum, quibus Baronius innititur, Athanaſio magno ſuppoſitas eſſe; nec melioris commatis eſt alter liber de communi eſſentia Patris, Filii & Spiritus Sancti, quo Halloixius fulcitur, quemque ipſe poſtea in Origene defenſo fatetur perperam S. Athanaſio fuiſſe ſuppoſitum & erroribus ſcatre. Qua occaſione meam ſententiam de Athanaſio quodam iuniore vtriusque illius ſcripti auctore propono. Iuniorem illum Athanaſium primus detexit Lambecius, & poſt medium ſæculum VIII. ſcripſiſſe probauit, eidemque quæſtiones ad Antiochum vindicauit. Cum autem maxima inter has quæſtiones & librum de communi eſſentia occurrit ſimilitudo, quam Riuetus, Petauius & Alexander obſeruarunt, tum eundem Athanaſium huius quoque fœtus parentem eſſe ſtatuo. Locum vero Clementis Alexandrini pro Halloixio nihil facere oſtendo, quoniam is non dicit, ſe ibi vllius ſcriptoris, nedum Dionyſi, veſtigia ſequi, ſed ex ſuopte ingenio habet. Quarto Schelſtratius autumat, Dionyſium Alexandrinum ſæculo III. Epiſcopum Scholia in Areopagitæ libros ſcripſiſſe. Quod tamen Turrianus & Halloixius pridem in dubium vocarunt. Ac Turriano quidem nihil repoſuit Schelſtratius; Halloixio autem miranti, Maximum ſemel tantum Dionyſii Scholia citaſſe, reſpondet, eum non ex ipſo Dionyſio, ſed ex Anaſtaſio Sinaita, qui centum annis ante Maximum floruerit, locum illum deſumſiſſe. At Maximus Anaſtaſio ſuppar fuit. Hunc enim Ann. 559. ad ſedem Antiochenam euectum & Ann. 599. mortuum eſſe Lambecius demonſtrauit; Maximus autem Ann.

Dom...

Dom. 655. annum ætatis suæ 75. egit, vt ex Anastosio Bibliothecario docuit Dallæus. Collatis igitur calculis deprehendemus, Maximum annos plus minus nouendecim natum fuisse, cum Anastasius decessit. Magis Schelstratio aduersatur, quod non solum Codices ὀδηγῶ Anastasio tributi mire variant, vt ex Lambecio aliisque probo; sed etiam libellum illum circa annum 859. diu post Anastasii mortem scriptum esse Albertinus inuictis argumentis euicit, quæ nec Labbeus, nec Oudinus improbarunt. Quare alius nobis Anastasius quærendus venit, quem puto esse Anastasium Monachum, ipsius Maximi discipulum, & epistola contra Monotheletas ad Monachos Caralitanos scripta clarum. Quo posito labuntur omnes Schelstratii machinæ, cum magis verosimile sit, discipulum Anastasium a præceptore Maximo ista accepisse; saluaque manet Halloixii de Dionysii Alexandrini Commentariis dubitatio. Nos cum neque apud Schelstratium, neq; apud alios certum pro Areopagiticis testimonium ex tribus primis sæculis reperiamus, ex universali hoc silentio νοθείαν eorum recte concludimus. Quod animaduertens Schelstratius ad disciplinam arcani confugit, & scripta illa a Christianis in occulto seruata vult, ne infidelibus innotescerent mysteria clare in iis descripta: & quanquam hoc effugium variis instantiis in dissertatione mea præclusum vidit, ad eas tamen infringendas nihli inueniens tantummodo dixit, Anastasium Bibliothecarium aliosque eandem rationem annotasse. Quod viro erudito excidisse miror. Nam Anastasius ille, Ambrosius Camaldulensis, Marsilius Ficinus, ac cæteri, viam plane contrariam ingrediuntur. Existimant quippe, vel a prioribus hæreticis, quod Anastasius dicit, vel a Philosophis Platonicis gentilibus, quod Ambrosius aliique volunt, occultata esse Dionysii opera, ne ad Catholicorum manus deuenirent. Id postquam Anastasii, Augustini Florentini & Matthæi Galeni verbis probatum dedi, insuper moneo, posteriorem de Philosophis Platonicis opinionem, quæ Schelstratianæ ex diametro opposita est, fundari in Græco operum Areopagiticorum prologo, quem alii veterum recentiorumque Ioanni Scythopolitano, alii Maximo tribuunt. Schelstratius autem antiquorum nullum adferre potest pro sua hypothesi, quæ potius Christianorum priscorum diligentiæ dedecori est. Illi enim

exqu-

exempli gratia de Angelorum ordinibus maxime sollicitì scripta Areopagitica in scriniis suis tanto studio adseruata procul dubio consuluissent, & si religioni sibi duxissent nomen Dionysii exprimere, saltem rem ipsam tradidissent, ac breui via suæ aliorumque curiositati satisfecissent. Quorum cum nihil observarint, Petavius binis vicibus Lib. II. de Angelis cap. I. merito negat, Dionysii opera tum exstitisse cognitaque fuisse. Præterea notatu dignum est, ex ipsius Schelstratii sententia Chrysostomum & Nazianzenum Dionysiana in publicis concionibus allegasse, quæ & Iuuenalis Hierosolymitanus, Andreas Cæsariensis, & Ioannes Scythopolitanus in scriptis suis citarunt, tertius etiam commentariis illustrauit. Hi autem omnes ante sæculi quinti finem floruerunt, quo tempore adhuc in toto Oriente obtinebat disciplina arcani, quæ tamen nihil prohibere potuit, quo minus & in publicis sermonibus, & in libris Hierarchica Opera allegarentur. At si tum licitum id fuit, quidni eandem libertatem habuerint secundi tertiique sæculi Doctores? Mera igitur illusio est, qua Schelstratius arcani disciplinam prætendit, Halloixium sequutus, cuius sententiam vtut non ignorauit Cardinalis Pallauicinus, ab ea tamen prudenter abstinuit, & in aduersis Christianorum primorum fatis diuturnæ occultationis caussam quæsiuit, quo sane difficultatem non tolli eruditi facile vident.

Articulo III. de Canone Illiberitano disputo, moneoq; Schelstratii interpretationem prius non valere, quam is ex indubitatis veterum monumentis monstrauerit, Trinitatis imagines tempore illius Concilii pingi consueuisse, cum in iis inquirendis nec Petauius nec Rosweydus supra Paullinum Nolanum adscendere potuerint. Deinde Paulliniana aliæque veterum imagines a Rosweydo in Notis descriptæ plane differunt a modernis Trinitatis imaginibus, quas Schelstratius depingit. Cui sane maxime aduersatur, non solum, quod Paullinus eam in Basilica posuit, a cuius ingressu Gentiles haud prohibebantur, sed inprimis, quod imagines Christianorum ethnicis patuisse diserte indicant Augustinus lib. I. de Consensu Euangelistarum cap. X. & Ioannes Thessalonicensis in sermone, cuius fragmentum Acta Concilii Nicæni secundi seruarunt. Præterea prudentiorum hodie Pontificiorum sententia fert, tribus primis sæculis nullum aut vix ullum

 ima-

imaginum vſum fuiſſe, quæ patet ex Petauio, Alexandro, & anonymo Maimburgii aduerſario, cuius eruditus libellus ſtatim e manibus hominum ſubtractus eſt, notante Heideggero in Hiſtoria Papatus. Denique canonis Illiberitani rationem in prudenti *συγκαταβάσει*, non in diſciplina arcani, quærendam eſſe arbitror, cuius auctores metuerunt idololatriam ex multis Hiſpanorum animis nondum prorſus depoſitam. Huc collimat Mendoza, & cum etiam propter *Catholicos ſimpliciores* canonem ſancitum fatetur, diſciplinam arcani plane excludit, quippe quam ad baptizatos ſeſe non extendiſſe Schelſtratius ipſe propugnat.

Articulo IV. controuerſiam de Baptiſmo Conſtantini repetit, quam non difficile eſt ex teſtimoniis pro vtraque parte ſtantibus definire, cum nemo dubitet, ſcriptores genuinos & coæuos præferendos eſſe ſuppoſititiis & iunioribus. Priores autem genuini ſunt, qui pro Baptiſmo Nicomedienſi ſtant, poſteriores, qui Romanum adferunt, non diffitente Papebrochio. Porro Theophanes duplex tantum argumentum ex arcani diſciplina pro Romano Conſtantini Baptiſmo nectit, illumque a participatione Euchariſtiæ & orationibus fidelium non vult excludere. Schelſtratius vero tertium addit, eique præcipua Religionis Catholicæ arcana occultanda fuiſſe dictitat. Ratio huius differentiæ inde manat, quia Theophanes optime ſciuit, diſciplinam arcani ad dogmata non extendi, ſecus quam Schelſtratius autumat. Cæterum quod vterque horum incredibile exiſtimet, ipſe Imperator diſertis verbis adfirmat apud Euſebium lib. IV. de vita eius cap. LXII. Quod vero ſolus Schelſtratius negat, arcanorum dogmatum notitiam illum vt Catechumenum habere potuiſſe, id Lambecius lib. IV. Commentariorum adſeuerat exemplo Cæſarii, Fratris Gregorii Nazianzeni, quem Billius dixerat Quæſtionum volumen conſcribere non potuiſſe, quia paucis duntaxat ante mortem diebus baptizatus fuerit; Lambecius autem hoc nec ſtudio ipſius Theologico, nec ſcriptis Theologicis vllum præiudicium facere cenſet, idemque de Conſtantino aliiſque dici poteſt ac debet. Quæ ex Euſebio repetit Schelſtratius, a me in Diſſertatione de Baptiſmo Conſtantini diſcuſſa ſunt, & quanquam verba eius, *αὐτὸς δ' ὅ,α τις μέτοχος ἱερῶν ὀργίων*, ad propoſitum ſuum trahere conatur, oſtendo tamen, Euſebium comparatiue,

tione, non absolute loqui, & cum alibi, tum hoc loco comparationem instituere non tam cum Christianorum, quam Gentilium sacris, quod Valesius in Notis etiam obseruauit; imo de fiducia precum tantum agere, quam Ambrosius laudat in ipso Valentiniano, qui ante susceptum baptismum decessit. Numeriani factum non solum fabulæ propius, sed a Constantini quoque moribus plane alienum est, qui iam post visum in cœlo crucis signum religioni Christianæ addictus erat. Quod vero obiicit Schelstratius, Constantinum vt Catechumenum Conciliis interesse non potuisse; ad id Alexander bene respondit, Constantium quoque Antiocheno Concilio interfuisse: atqui id orthodoxum fuisse peculiari volumine adseruit Schelstratius, & varia tam dogmatica quam ritualia decreta edidisse docuit. Quod igitur Constantio filio in vitæ quoque exitu demum baptizato concessum est, cur non & patri Constantino licuisse dicamus? Schelstratius quidem ex Sulpitio Seuero probare vult, Constantium a Concilio Mediolanensi exclusum esse. Sed ex Athanasio & Theodoreto liquet, in Synodo illa præcipuas partes Constantium tenuisse; Sulpitius vero nihil aliud innuit, quam Vrsatium & Valentem Constantii nomine fidei confessionem Ariano gurgite plenam emisisse, vt si ea populo non placeret, culpa in Constantium, tanquam adhuc Catechumenum, caderet. Porro ex Oratione Constantini apud Gelasium conficio, eum tempore Concilii Nicæni Catechumenum fuisse. Quis enim initiatorum timeret sibi fores ecclesiæ occludi, quam impune ingredi potest? aut se demum veram fidei puritatem inuestigare diceret, quam nosse iamdum debebat? Præterea Acta Concilii Nicæni apud Eusebium & Gelasium perpendentes, aliter in dogmatum, aliter in rituū tractatione Constantinum sese gessisse deprehendemus. Cum enim disciplina arcani circa dogmata non versaretur, Imperator Catechumenus at in fide satis informatus ab eorum tractatione exclusus non est; sed quia eadem Catechumenos a rituum Sacramentalium conspectu excludebat, prudentissimus Imperator vniuersam ceremoniarum ordinationem Episcopis reliquit, qui ipso præsente negotium confecerunt. Hactenus igitur dispensarunt atque a rigore disciplinæ abstinuerunt, ne Constantinum asperitate sua in rebus adiaphoris Christianismo in-

 sen-

ſenſum redderent. Quam indulgentiam Natalis Alexander lubens fatetur, etiamſi Apoſtolicam diſciplinæ arcani antiquitatem ſtatuit, ipſeque Schelſtratius diſciplinam illam æque & ſemper obſeruatam non fuiſſe vltro largitur. Neſcio autem, quare non reſponderit ad exempla Conſtantii & Valentiniani a me in Diſſertatione propoſita, neque ſatisfecerit Valeſio & Alexandro ibidem citatis. Sane non ſufficit me in eo a Valeſio diſſentire, quod ille Conſtantinum eodem tempore, quo in extremis baptizatus eſt, Catechumenum demum factum eſſe vult, ego autem iam antea Catechumenum fuiſſe dico. Valeſius enim Catechumeni vocem in ſtrictiori ſignificatu pro perfectioribus & Baptiſmi Candidatis accipit, vti docent omnia exempla ab eo producta, & a Schelſtratio repetita; ego vero in latiori ſumo, pro iis, qui nondum competentes erant, prout ſumitur ab auctore, qui ſummaria capitum Euſebii de vita Conſtantini concinnauit Lib. I. cap. xxxii. Sufficit igitur, Valeſium in primario ſcopo mecum conuenire, & Euſebium a contradictione liberum adſerere, quam in rem a me allegabatur. Sed Euſebii patrocinium Clariſſimo Schurzfleiſchio relinquo, qui elogium eius meditatur, ſatisque habeo, Papebrochii ſuffragium adferre. Et quanquam Schelſtratius obiicit, Euſebium in aliis etiam erraſſe, & propterea a Gelaſio inter Apocryphos relatum eſſe; nunquam tamen adeo perfrictæ frontis fuit Euſebius, vt res ſua ætate geſtas, & quibus ipſe plerunque interfuit, aliter ac contigerunt, effingeret; nec libri de vita Conſtantini, ſed Hiſtoriæ Eccleſiaſticæ, non propter Hiſtoricos, ſed dogmaticos errores in apocryphorum cenſum coniecti ſunt. Gratis etiam dicit Schelſtratius Euſebium, a pleriſque Patribus receptum non fuiſſe; nam ex præcipuis quarti quintique ſeculi nullum reperiet, qui cum Euſebio non fecerit. Allegat quidem Athanaſium, Auguſtinum & Sulpitium Seuerum. Sed Athanaſium ob comprobatam Ariminenſis Concilii epiſtolam cum Euſebio conſentire Lambecius optime cenſet; nec obſtat, quod in vita Antonii Conſtantinum Chriſtianum vocat: nam eadem appellatione ibi comprehendit filios eius, Conſtantium & Conſtantem, quorum illum paullo ante obitum baptizatum ex ipſius Athanaſii epiſtola de Synodis Arimini & Seleuciæ certo nouimus, & de hoc idem colligimus ex eiusdem Apologia ad

Con-

Conſtantium. Auguſtinus epiſt. 166. de Conſtantini contra Donatiſtas edictis agit, quorum pleraque ante Syluestrum Papam Melchiade adhuc viuente publicata eſſe conſtat: vnde conſequeretur, ſtante Schelſtratii collectione, Conſtantinum non a Syluestro, ſed ab alio baptizatum eſſe, quod tamen præcipuæ eius opinioni repugnaret. Eadem ratio eſt Sulpitii Seueri, vt in Diſſertatione luculenter monſtraui. Certe ex nudo Chriſtiani nomine confici nequit, aliquem baptiſmo initiatum eſſe, quod in Oriente Catechumenis datum eſſe Schelſtratius fatetur, & ex Concilio CPtano 1. probat, egoque ex Athanaſio, Nazianzeno & Socrate amplius confirmo. Fruſtra etiam recentiorum Græcorum & Latinorum pro Baptiſmo Conſtantini Romano teſtimonia reponit, quos & numero & auctoritate ſuperant quadringenti & pulres Concilii Ariminenſi Patres, vt de Euſebio, Socrate, aliiſque nihil dicam, qui omnes vnanimi conſenſu vnicum Conſtantini baptiſmum Nicomediæ in fine vitæ ſuſceptum adſerunt & confitentur.

Articulo V. diſquiro, num Schelſtratius pro perpetuo azymorum apud Latinos vſu contra decreta Melchiadis, Siricii & Innocentii, fermentum nominantium, recte quæſiuerit præſidium ex diſciplina arcani, propter quam eucharistia licet azymo conſtans, fermenti tamen nomine apud fideles vulgo venerit? Ac negatiuam ſententiam amplector, quia Theodoretus tantis non opus habuiſſet ambagibus in deſcribendo pane, nec Auguſtinus *Sacramentum fidelium a tritico* dixiſſet, ſi unico fermenti vocabulo illum occulte ſignificare potuiſſet. Deinde nullus Apoſtolorum, Patrumue antiquiorum tanta myſteria in fermenti voce quæſiuit, quanta Schelſtratius cum Sirmondo eruere conatur: imo fermenti nomen ſemper in malam partem Chriſtus & Apoſtoli uſurparunt, & Paullus rationem unionis myſticæ non ex fermento ſed ex unitate panis deſumſit 1. Cor. x. Præterea obſtat Schelſtratio, quod ſublata arcani diſciplina fermenti appellatio diu manſerit, ut patet ex Kalendario Frontonis, aliiſque euangeliorum capitularibus, ad diem Sabbati ante Dominicam Palmarum, quam hodie vocamus. Quid autem priſci eo nomine intellexerint, Mabillonius tomo IV. Analectorum p. 60. 61. ex veteri gloſſa docuit. cuius auctor quoniam idem cum Latinio ſentire videtur, Cardinalis Bonæ cenſuram adiicio, eundemq; allego Antonii Auguſtini opinioni contradicentem, quæ reipſa cum Schelſtratiana congruit, quanquam diuerſam appellationis originem tradit. Denique nullum vel teſtimonium indubitatum, vel

exemplum proferre poteſt Schelſtratius, quo adſertioni ſuæ fidem faciat. Nam ex Melchiadis, Siricii ac Innocentii decretis nulla vi extorqueri poteſt, panem euchariſtiæ propter gentiles fermenti denominationem accepiſſe. Nec fermenti in Tharſicii exemplo ulla occurrit me[illegible], qui euchariſticum panem ex præſcripto diſciplinæ arcani co[illegible]bus iure meritoque occultauit.

Articulum VI. non aduerſum nos, ſed Reformatos [illegible] Schelſtratius, quos tamen ex principiis minime conceſſis impugnat, quando ex ſua de diſciplina arcani diſputat hypotheſi, quam Reformati [illegible] aſſequantur. Præterea non animaduertit, pleraque Patrum loca ab A[illegible]tino obiecta ex eiuſmodi ſcriptis deſumta eſſe, quæ nec Catechumenorum aut infidelium cauſſa ſcribebantur, nec in manus eorum [illegible]bant. Certe talia ſunt, quæ ex Dionyſio Areopagita, Tertulliano, Origene, Cyrillo utroque, Epiphanio aliiſque ſibi vindicat [illegible] Schelſtratius. Cum autem videri nolit diſciplinam arcani ad [illegible]re, aliam ſane cauſſam obſcuritatis in ſcriptis Patrum [illegible] quærat oportet, quæ nulla alia eſt, quam accuratior in docendo methodus, de qua ſupra diximus.

Articulo VII. opto, ut Schelſtratius producat vetus teſtimonium, quo nomen transſubſtantiationis Lombardo antiquius eſſe fidem [illegible] Mabillonius quidem magnam ſpem ponit in vocabulo *tr[illegible]nis*, ſed formalem conuerſionem diſerte negat P[illegible] apex Hildebrandus. Doctrinam vero ipſam quod attinet, anonymi cuiuſdam præfationem hiſtoricam determinationi Ioannis Pariſienſis ſuperiori anno Londini editæ præfixam laudo, qui plurimis argumentis nouitatem transſubſtantiationis probat, luculenterque euincit, eam pro dogmate fidei nec ante nec poſt Tridentinum Concilium apud ipſos Pontificios habitam fuiſſe. Qua igitur conſcientia primis Eccleſiæ ſeculis transſubſtantiationem pro dogmate Euchariſtiæ agnitam fuiſſe Schelſtratius nobis perſuadere conatur? Fluctuaſſe quoque ipſum patet ex contrariis adſertionibus. Nam aduerſus Reformatos diſputans ait Patres ex diſciplina arcani ſæpius veritatem euchariſtiæ ſub figuræ, imaginis, ſimilibusque nominibus occultaſſe, ac proinde Dionyſium Areopagitam præſentiam realem verbis obſcurioribus explicaſſe: nos autem aggreſſus Patres in epiſtolis ac operibus baptizatorum cauſſa ſcriptis, & in ſermonibus ad eoſdem habitis, (de quibus etiam ſupra loquitur) cl[illegible] Euchariſtiæ veritate loquutos eſſe ſtatuit, Dionyſiumque iis accen[illegible]

clare

clare loquuti sint de horum mysteriorum veritate. Præterea cum suis commune habet, ut Patrum de reali præsentia testimonia ad transsubstantiationem nbtorto collo trahat. Talia enim esse, quæ ex Gaudentio & Cyrillo attulit, manifestum reddo. Posthæc dictum Schelstratii, Patres in epistolis ad fideles baptizatos transsubstantiationem expressisse, refello ex epistola Chrysostomi ad Cæsarium Monachum, cujus γνησιότητα adversus Alexandrum defendo, & cum a Moynio in Variis Sacris, nuperrimeque ex ipsa Bigotiana editione per Parisienses Theologos male suppressa a Iacobo Basnage in lucem publicam adserta sit, tum eiusdem Alexandri frustraneas pro sociis suis vindicias fuisse ostendo, nobileque Chrysostomi contra transsubstantiationem suffragium ea contentum vindico, subiicioquè ex Abbatis Bigetii epistola, Petrum de Marca statuisse, quod Patres usque ad Chrysostomum crediderint, panem post consecrationem naturam suam non amittere. In aliis autem scriptis, quæ ad non-initiatorum manus peruentura credebantur, ritus quidem symbolaque Eucharistiæ siluerunt Patres, dogma antem disertis verbis expresserunt, quod manifestum est ex secundo Theodoreti Dialogo, qui de pane & vino propter ἀμυήτους obscurissime loquutus paullo post doctrinam Sacramenti exclusa transsubstantiatione tam clare aperteque exponit, vt multi Pontificiorum libere fateantur, quod res est, Theodoretum hac in parte Lutheranum esse. Desinat itaque Schelstratius ex disciplina arcani aduersum nos argumentari, qui ut libenter largimur, obscura Patrum loca præsentiæ reali nihil officere, quanquam ista obscuritas non ex arcani disciplina, sed ex accuratiori docendi methodo proficiscitur; ita cum ipse sponte concedat, symbola Eucharistiæ ex præscripto disciplinæ arcani occultari debuisse, fateatur etiam oportet, Patrum testimonia, in quibus diserta panis & vini mentio fit, disciplinam illam plane excludere, nec obscura sed aperta esse. Alioquin si in opinione sua persistet, ac transsubstantiationem tanquam dogma magis arcanum per disciplinam arcani occultari debuisse amplius contendet, veterem Ecclesiam tacite Valentinismi accusabit, quem alia in abscondito alia in aperto docuisse, ex Irenæo supra voluit. Quis enim dubitet, te alia in aperto docere, quando tu cum Theodoreto in præsentia non-initiatorum symbola post sanctificationem in sua natura & substantia manere profiteris; alia vero in abscondito, quando panem & vinum in substantia sua non manere, sed in aliam, corporis & sanguinis Christi, mutari, coram solis initiatis cum modernis Pontificiis statuis?

Atti-

Articulo VIII. & vltimo cum Schelstratius dicat, Eucharistiæ exponendæ & circumferendæ morem in prisca Ecclesia propter gentilium irrisionem locum non habuisse; tum mirari subit, quamobrem Iesuitæ ac cæteri missionarii, qui tanto cum strepitu antiquitatis obseruatores audire volunt, illam veterum prudentiam apud Sinas Iapones, aliosque gentiles non imitentur, sed recentioris potius Romanæ Ecclesiæ ritum pompamque in exponenda & circumferenda hostia teneant. Certe latet anguis in herba: peruersa nempe modernorum Latinorum opinio de transsubstantiatione & cultu adorationis pani consecrato extra vsum a Christo institutum deferendo quæ omnia purior antiquitas ignorauit. Schelstratius quidem negat, Ecclesiam cum ritu dogma mutasse Gorgoniæ historiam Cyrillique præceptum obiiciens, quorum tamen illa non panem, sed Christum, *qui super altari honoratur*, merito adorauit & ab eo sanitatem petiit; hic autem in actu celebrandi ad bibendum calicem magna reverentia accedendum esse nobis nec inuitis nec repugnantibus præscripsit.

Habes, *VIR CLARISSIME*, sciagraphiam ac breviarium libelli aduersus Schelstratium a me compositi, qui num publica luce dignus sit, tu cum aliis eruditis optime iudicabis. Ego instar Apellis post tabulam latens monita vestra lubentissime excipiam, & quæ corrigenda aut exornanda censebitis, promptissime emendabo. Vale. Perscripsi Gothæ Thuringorum exeunte mense Septembri A. CIↃ IↃC LXXXVII.




ALLEGRI
LABORAT.
RESTAURO
LIBRI
PARMA